







DIVINA

38,3

†
IHS

BIBLIOTECA DE LOYOLA.

Sala... 1
Estante... 7
Plúteo... 4



DIVINA

QV A E D A M

S. EPHRAEM OPERA

MILLE DVCENTIS IAM

ANNIS E SYRA IN

GRAECAM LINGVAM,

NVNC AVTEM E GRAECA

in Latinam uersa,

PETRO FRANCISCO ZINO

Veronensi interprete.



VENETIIS.

APVD FRAN. RAMPAZETVM.

M D L X I.



2
OPTIMO AC SA-
PIENTISSIMO VERONAE
PONTIFICI D. HIERO-
NYMO TRIVISANO.



PETRVS FRANCISCVS ZINVS S. D.



IN MAXIMA & in-
credibili illa lætitia,
quam patria mea ce-
lebræ Ciuum atque
ordinum omnium
gratulatione, præ se tulit, cū te sibi à
PIO IIII PONTIFICE OPT.
MAX. ex lectissimo totius Reipub.
Venetæ nobilitatis flore, datum esse
sponsum atque pastorem intellexit:
ego summum animi mei gaudium
tantisper cœlare constitui, dum san-
ctissimum quēdam senem, qui mul-
tis iam seculis penè mutus ac fordi-
dus in tenebris iacebat, excitarem:
ut à me latinè loqui edoctus, & uesti-



mentis paulo elegantioribus exorna-
tus, tibi meo nomine gratularetur.
Hic est Ephræm ille, quem Nisibis
clara Mesopotamiæ ciuitas genuit:
Edeffa Diaconum habuit: Græcia
suspexit: uniuersa Christiana Resp.
est admirata. Hunc Basilius Magnus
unicè dilexit. Hunc D. Gregorius
Magni Basilii Frater luculenta ac be-
ne longa oratione summis laudibus
in cœlum extulit. Huius doctrina tã
pia, tam sincera, tam dulcis, tam gra-
uis, atque frugifera ab omnibus sem-
per est habita, ut eius opera mille du-
centis iã annis è Syra in græcam lin-
guã conuersa post sacrarum scripturã
lectionẽ B. Hieronymus in Ec-
clesijs legi consueuisse testetur. Per
hũc ego diuinũ senẽ ad te, pater opti-
me, tanquã ad numen aliquod (quã-
do tu hac Diœcesi Dei personã ac

uicẽ geris) gratulabũndus & supplex³
accedo. Ad Deũ autẽ qui adeunt, &
donare, & petere aliquid consueue-
runt. Dono igitur tibi non aurũ, nõ
gẽmas, aut aromata, cuiusmodi mu-
nera Regina Saba attulit Salomoni:
Sed cũ uidua illa paupercula ueluti
minuta duo, quæ tu pro eximia ani-
mi tui magnitudine auro, & gẽmis,
& aromatibus antepones: nẽpe præ-
clara ac diuina quædã huius uiri san-
ctissimi Ephræm monumenta, qui-
bus & tu nõ mediocriter delecteris,
& gregis filiorum'q; tuorũ animi ac-
corda, quæ uiua ueri Dei sunt tẽpla,
decorentur, & bonus, ac suauis odor
fiãt Deo, & Angelis, & hominibus.
Atq; hoc quidẽ est munusculum no-
strum. Quod si tibi, ut spero, & opto,
nõ ingrátũ accidisse, & prodesse cæte-
ris intellexero: alia cõplura tum eiuf



dem auctoris, tūm aliorū Sanctōrū
ōpera, quæ singulari humanitate no-
bilissimi atq; ornatissimi uiri AN-
TONII GIBERTI græcè scripta
apud me conseruantur, labore ac stu-
dio nostro in lucē latina prodibunt.
Quod autē abs te peto, eiusmodi est,
ut & tibi largienti, & accipiēti mihi,
patriæq; meæ, atq; ipsi Deo sit futu-
rū longè gratissimum: nimirū, ut spō-
sam ipsam tuā, quæ & pulcherrima
est, & tui, in quo uno uirtutes omnes
amabili quodam mansuetudinis ac
morum suauissimorū uinculo con-
iunctas cernit, amātissima, quemad-
modum amas, constanter ames: ut
eam nullo unquam tēpore deseras:
sed præsens omni officio, ac pietate,
& amore perpetuo cōplectare. Valē.
Ex Oppido Lonati VIII Kal. Iulij
M D L X I.

INDEX EORVM, QUAE HOC⁴
volumine continentur.

S. Ephræm animi sui timorem explicat.	5
• Preces.	7
De uirtutibus & uitiis.	8
De timore Dei.	9
De illo, qui expers est timoris Dei.	9
De Charitate.	9
De homine non habente charitatem.	10
De longanimitate.	10
De uirtutis huius experte.	10
De patientia.	11
De impatientia.	11
De benignitate.	11
De iracundia.	12
De mansuetudine.	12
De improbitate.	13
De ueritate.	13
De mendacio.	13
De obedientia.	14
De inobedientia & murmuratione.	14
De homine ab inuidia, & æmulatione alieno.	15
De inuidis, & æmulatoribus.	15
De homine abhorrente à maledictis, & cōtumelia.	16
De maledictis, & contumeliosis.	16
De temperantia, & continentia.	16
De intemperantia.	17
De gratia Dei.	18
De linguæ morbo, & ceteris uitiis.	21
Deflet peccata sua, & Dei misericordiā implorat.	27
De pœnitentia, & confessione.	28
Se ipsum reprehendit, & peccata sua confitetur.	29
De charitate.	43
De uita spiritali.	44
De exercitatione.	55



Forum correctio, qui cum uiciose uiuant honores pe-	56
tunt .	56
De uirginitate, & castitate.	60
De castitate.	62
Beatitudines.	63
Beatitudines alię.	67
De recta uitę ratione.	70
De beatitudine, & miseria.	76
Vita S. Ephram à Diuo Gregorio Nysseno compo-	78
sita .	78
Vita eiusdem ex Historia Ecclesiastica Nicephori	90
Callisti.	90

EX LIBRO B. HIERONYMI DE
scriptoribus Ecclesiasticis.



EPHRAEM Edessę Ecclesię Dia-
conus, multa Syro sermone compo-
suit, & ad tantum uenit claritudi-
nem, ut post lectionem Scriptura-
rum publicę in quibusdam Eccle-
siis eius scripta recitentur. Legi
eius de Spiritu Sancto gręcum uo-
lumen, quod Quidam de Syriaca lingua uerterat,
& acumen sublimis ingenii etiam in translatione co-
gnoui. Decessit sub Valente Principe.

Plura de hoc Sancto Viro in fine
uoluminis leges.



DIVINA QVAEDAM
S. EPHRAEM OPERA
MILLE DVCENTIS IAM
ANNIS E SYRA IN

GRAECAM LINGVAM,

NVNC AVTEM E GRAECA
in Latinam uersa,

PETRO FRANCISCO ZINO
Veronensi interprete.



Animi sui timorem explicat.



EGO EPHRAEM pecca-
tor, & in certamine spiritali,
in quo propter negligentiam
meã assidue uincor, ignauus
ac piger, uobis, strenui pugil-
les, & Dei amantissimi fra-
tres, ingentem animi mei ti-
morem, qui me miserum, &
superbum, atque insipientem, ac desidem die quodã
inuasit, uolo commemorare. Sedebam solus, turo, &
ameno, ac sublimi quodam in loco: & inanes huius-
sę mundi sollicitudines, tumultus, perturbationesq;



ANIMI SVI

Mecum ipse tacitus reputabam : considerans , quomodo uita nostra uelut umbra pertransit , & tãquã cursor uelocissimus fugiat , ac matutini floris inquit marcescat . Et cum dolore ac gemitu dicebam : ignauia , & negotiis , atque cogitationibus inutilibus distracti , quomodo seculum hoc prætereat , ignoramus . Hæc mecum ipse cogitans , oculos in cœlum sustuli . & stupore quodam affectus , tanquam extra me attonitus hæsi , magnaq; formidine totus horrescens , cordis oculis Dominum summa in gloria sedentem uidi , & animam meam sic alloquentem : Cur , ò anima cœlestem thalamum tuum immensa lucis & gloriæ pulchritudine illustrem , contemnis ? Cur , sponsa mea , odio prosequeris me purissimum sponsum tuum atque immortalem ? Cur ea despicias bona , quæ ego tibi , in lumine uitæ præparauim ? Cur te à me per occupationes uanas , & turpes cogitationes alienasti ? Cur , ò anima , cum omni studio & gaudio aduentum meum sedula non expectas ? Cur , cum lampade tua non uigilas , anima , uocem illam ut audias : Ecce sponsus uenit , exite obuiam ei cum lætitia ? o anima , cur decoram uestem ad nuptias tibi parare nõ festinasti ? Cur , cum gaudio in cœlestem & sanctum thalamum non ingrederis ? Cur , odisti me , qui bonus sum , reque à morte in uitam uindicauim ? Ego , anima , mortem obii , ut te mihi sponsum asciscerem . Ego , amplissimum tibi regnum hæreditarium acquisiui . Ego , anima , omnia mea bona tibi , ut Rex præbui . Ego propter te factus sum homo , ut uitam tuam liberarem à corruptione . Ego , anima , cunctis operibus meis salutem tuam anteposui . Ego thalamum tibi in cœlis instruxi , Angelisq; præcepi , ut in eo coram te ministrarent . Tu autem , anima , me cœlestem sponsum , & incredibilia , quæ tibi parauim , bona contempsisti . Quem porrò prætulisti mihi , qui miserationibus meis genus humanum seruauim ? Quis pater uitæ lar-

Matth.
25.

TIMOREM EXPLICAT.

gitur , ut ego , quem tu , anima , reliquisti ? Tu , anima , tu pro me inimicum tuum omni odio dignissimum adamasti . His ego uerbis , fratres , coram Domino constitutus , magna animæ meæ turpitudine animaduersa , uehementer expaui , & præ timore deficiens contremui . Et quia tantum dedecus ferre non poteram , ubi me absconderem , cogitabam , dicebamq; : ò montes , me peccatorem & impium operite . Et demisso capite , præ pudore lugebam , magnaq; uoce lamentabar , cur ego , inquit , ex utero matris egressus sum , ut Dominum meum sanctum , & bonum , & misericordem ad indignationem prouocarem ? Tu Domine , in utero matris me coagulasti . Tu corporis incrementum dedisti . At ego ingratus fui , & dona tuæ cœlestia , sanctaq; gratiæ tuæ remedia contempsisti . Flens tamen prociidi , & cum dolore ac gemitu cordis mei lacrimans exclamaui : Exaudi , Domine , clamorem meum , & uerba suscipe deprecationis meæ , quæ ego peccator timore perterritus loquor . Domine clemens , & mitis , atque misericors , ne tractes me , ut meritis sum pro cunctis operibus meis : Nec memineris iniquitatum mearum , quibus ego gratiam tuam , benigne Domine , irritaui . Tantum mihi spatii concede , clementissime Domine , & humani generis amantissime , ut respicam , ut penitentiam agam . Gratia tua , quæ pertulit adolescentiæ meæ iniquitates , & senectutis meæ delicta ferat . Memini , benignissime Domine , iusiurandum tuum , quod iurasti per te ipsum , dicens : Viuo ego , dicit Dominus , qui nolo mortem peccatoris & impii , sed magis ut conuertatur ab omnibus iniquitatibus suis , & uiuat . Humanissime Domine & clementissime , pro tuis miserationibus iurasti , te nolle mortem peccatoris , sed magis ut conuertetur , & uiueret . Ignosce igitur mihi peccatori , qui adiuro te per uiscera misericordie tuæ , ut mihi propitius sis & placatus . Misere-

Ex. 18.



ANIMI SVI

mei, Domine, & noli supplicis obsecrationem ac preces aspernari. Tu, Domine, qui hominum corda scrutaris & renes; & nostras omnes perspicis cogitationes, nosti, me acerbo animi dolore compulsus, hæc ausum esse loqui in conspectu tuo. Respice, Christe seruator, fontes lacrimarum mearum, & contritionem, atque suspiria indignæ animæ meæ. Adueniat misericordia tua, & protegat me, antequam terribili iussu tuo imparatus ac fœdus deprehendar. Gratia tua mihi exiguum ueræ pœnitentiæ tempus elargiatur. Nequit, mitissime Domine, gratia tua peccatorem despicere lacrimantem. Ignoscit omni animæ, quæ supplex ad te confugit, & peccatorum, quæ commisit, ueniam petit. Exaudiuit sanctus & bonus Dominus uocem meam, & clamorem lacrimarum mearum, & miserus est mei, ut ego quoque fructum pœnitentiæ feram. Obsecro, Domine, ut mihi ueræ pœnitentiæ spatium concedas. Doce me, Domine, & duc per uiam uitæ, ut saluus fiam. Quoties mihi fratres charissimi, uenit in mentem illius diei, & illius horæ, in qua me repente hic timor inuasit, horreo, & lacrimor, & ingemisco. Rursus omnia simul obliuiscor, & preces, & lacrimas, & timorem, & pœnitentiæ tempus mihi gratiæ diuinæ munere concessum. Vnde mihi hæc duritia? hæc negligentia? hæc obliuio? Cur tam repente impudens fio, timoris expertus, superbus, & iracundus? Cur mihi ante oculos nec timor Dei, nec iudicium futurum uersatur? Num iniustus Deus? Num dissimulat, aut non perspicit opera mea? Absit. Quæso obsecrorq; uos, amici Dei, & fratres mei charissimi, ut pro me homine inuiti & peccatore Deum benignum & misericordem deprecemini. Quæ mihi contigerint, ideo uobis patefeci, ut per uos à Deo misericordiam impetrem. Non dubito, si uoueritis, quin mihi apud Deum precibus & supplicationibus uestris auxiliū ferre ualeatis. Scio

TIMOREM EXPLICAT. 7

multorum obsecrationem potuisse etiam Apostolos Act. 12. è carcere & uinculis & morte liberare. Quanto magis me peccatorem & impium à morte liberabitis? Accurrite, qui timeris Deum, pro me preces uestras effundite, ut in anima mea luceat diuina gratia, men temq; meam tenebris circumfusam illustret. Ego autem uestræ supplicationis auxilio dignus efficiar, qui pœnitentiam agam, & ueniam obtineam. Et adueniente diuina gratia dulcescat amaritudo mea. Gratia enim præsentia simul cum animi respicientis dolore dulcedinem affert & tranquillitatē. Exhilarat spiritus sancti gratia, facitq; , ut anima rerum omnium caducarum & inuiliū obliuiscatur. Gratia Dei in anima nostra similis est orto regio pulchris arboribus referto & fructibus bonis, qui & sapore, & odore, & pulchritudine mirificam omnibus sensibus afferunt delectationem. Eiusmodi sunt diuinæ gratiæ fructus. Splendorem, dulcedinem, lætitiā præbent. O beata illa anima, quæ gratiæ diuinæ præsentia fruitur. Quanto illustratur splendore. Quanta afficitur suauitate. Quanto contemplationis gaudio perfunditur. Iterum dico: O beata illa anima, quæ diuinæ gratiæ muneribus decoratur. Nihil anima illa cernit in terra. Tota hæret in Deo. Neque enim illam sponsi suauitas & gratia discedere permitit. Ecce rursus ad fores Domini mei supplex accedo, obsecrans, adorans, ac dicens: Ignosce mihi, clementissime Domine, delicta mea. Expedi enim supplici seruo, posteaquam peccauit, nõ effugere manus Domini sui, sed potius cum omni summissione & humilitate cordis permanere. sic enim & homines seruis delinquentibus parcere consueuerunt. Quòd si homines mortales & improbi conferuis ignoscunt suis: quanto magis Dominus sanctus & bonus, cuius misericordia, & mansuetudo, & clementia est infinita, iniquitates, & crimina remittet illis, qui ad be-



PRECES

ignitatem ipsius supplices confugiunt? Theſaurus enim miſericordiæ eius promptum reſpiſcentis ac dolentis animum requirit, ſtatimq; profundit diuitias ſuas. Nam theſaurus ille uberrimo fonti uidetur ſimilis, qui aquam haurientibus abundè tribuit. Facile cuius eſt explicare, quomodo fons diuinæ miſericordiæ comparetur. Sicut enim fons ab aqua ſua neminem arcet, ſic gratiæ theſaurus nullum hominem prohibet, quo minus particeps illius fiat. Modò uoluntas adſit, ſtatim totus gratiæ theſaurus patebit tibi. Haurite ex hoc fonte, fratres chariſſimi, fluenta munerum diuinorum, dum licet. Tempus enim adueniet, cum inde ſitim extinguere non licebit. Obſecro uos, hæredes Dei, & Chriſti fratres, ut mei ne obliuiſcamini, ſed pro me Domino ſupplicetis, ut eripiar ab hoſte, qui me ſingulis horis oppugnat. Sanctæ Trinitati ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Preces.

PECCAVI in cœlum & coram te, Domine Deus omnipotens, nec iam ſum dignus, qui uocer ſilius tuus, aut oculos in cœlum tollam præ multitudine peccatorum meorum, aut labiis meis impuris glorioſum inuocem nomen tuum. Me enim & cœlo & terra indignum reddidi, quia te, miſiſſime Domine, ad iracundiam prouocavi. Obſecro, Domine, obſecro, ne me proicias à facie tua, ne ue recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim gratia tuâ me protegat, perii, ero tanquam puluis ante faciem uenti, & propè in nihilum redigar. Ex quo uiam tuam deſerui, nullus mihi lætus illuxit dies. Nam ſiquis forte iucundior dies uiſus eſt, is omnium fuit acerbiffimus. Verum gratia tua conſiſus ſpero te mihi robur & uires largiturum ut conſulam ſaluti meæ. Et nunc ſupplex ad te confugio, & quaſo, ut me à iuſtitia ſemita pro-

DE VIRTUTIB. ET VITIIS. 8

cul aberrantem in uiam reducas. Oſtende in me miſericordiæ tuæ magnitudinem, ut olim in filium prodigum oſtendiſti. Ego gratiæ tuæ diuitias profundens ac perdens uitam meam coinquinavi. Miſerere mei, Deus, & ne memineris iniquitates meas. Miſerere mei, ut peccatricis & latronis, & publicani miſertus es. Iſti enim cum uerſarentur in terra, ab omnibus ut perdiſti ac deſperati deſpiciebantur. Tu autem illos ſuſcipiens Paradifi deliciarum incolas effeciſti. Suſcipe igitur & poenitentiam meam, inutilis ſerui tui, quoniam apud omnes deſpectus ſum, & perditus, ac deſperatus. Veniſti enim, Domine, non ut iuſtos, ſed peccatores uocares ad poenitentiam. Tibi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

De uirtutibus, & uitijs.

EGO, fratres Chriſti amantiſſimi, uitam ueſtram beatam exiſtimo, quia frugi eſt: meam uerò miſeram duco, quia inutilis. Vos ego felices iudico, quos recta uiuendi ratio Deo & Angelis & amicis reddidit: uicem autem meam quis dignè lugebit, qui prauis operibus meis Deum ad iram prouocauit? Vos beati eſtis, qui caſto uitæ inſtituto & eximia charitate paradifi hæreditatem acquiritis. Quis ſtadium ueſtrum & animi alacritatem non admiretur, qui tam longi itineris laborem uirtutis cauſa ſuſcepitiſtis? Quanquam id mihi maiori admiratione dignum uidetur, quòd ad abiectum peccatorem conuenitis, ut ex eius ſermone fructum aliquem percipiatis. Mirum proſectò, eos, qui ſaturi ſunt, ad fame conſectum accedere. Qui rore abundant ſpiritali, ad eum, qui ſiti aridus eſt, proſciſci. Qui uirtutum dulcedinem guſtant, eum petere, qui uerſatur in amaritudine peccatorum. Cur diuites ad pauperem? Cur ſapientes ad imperitum? Cur mundi ad coinquinatum? Cur



DE VIRTVTIB. ET VITIIS.

uales ad ægrotum? Cur amici Domini ad eius inimicum? Cur studiosi ad ignaum accessistis? Vos enim estis uirtutibus conspicui: ego mendicus ac stultus. Vos temperantia uestra placetis Deo: ego nequitia mea illi displiceo. Vos bonis operibus & laudabili castitate suauis odor estis in Christo: ego inertia, & pigritia mea totus forteo. Valde igitur mirandum est, uos, qui tam multis commodis affuitis, ad me uenisse, qui ne mihi quidem prodesse ualeo. Sed uos utique uoluistis à me desidiã expellere, & animum ignaum excitare, imbecillitatique meæ uires adiungere. Cum enim perfecti sitis, nulla in re desicitis. Quando igitur, quæ uestra humilitas est, à me homine inutili sermonem aliquem frugiferum exigitis, ego, licet iussu uestro uita mea coarguatur, ut obedientiæ fructum capiam, loquar equidem, sed cum rubore. Quomodo enim uobis consulam, quin meipsum reprehendam? Quomodo alios admonebo, quin meipsum condemnem? Iure profecto in me dici poterunt uerba illa Domini seruatoris: Medice, cura teipsum. Verum, quoniam idem Dominus & seruator ait: Quæcunque dixerint uobis, seruate & facite, secundum autem opera eorum nolite facere: quanuis immundus ego sim, rectè tamen aliis conabor consulere. Cum angelicam uitæ christianæ rationem considero, singula ipsius instituta afferre beatitudinem perspicio. Quis enim ex uirtute rectè, castèque, uiuentem nõ beatissimum putet? Quis contra non miserimum arbitretur illum, qui negligentia sua & prauis operibus regnum cælorum amittit, & à diuino illo sponso repudiatur? Quæ cum ira sint, fratres charissimi, omni studio debemus in hoc angelico uiuendi instituto cum Dei timore uerari, & ueram humilitatem amplectentes sanctis Domini & seruatoris nostri Iesu Christi mandatis obedire.

De

DE TIMORE DEI.

De timore Dei.

BEATVS vir, in quo timor est Dei. Is enim aperte beatus appellatus est a spiritu sancto: Beatus, Psal. 3. inquit, vir, qui timet Dominum. Verè enim, verè, qui timet Dominum ab omni fraude inimici tutus est, & omnes illius insidias uitat. Is in quo Dei timor inest, omnibus astutissimi hostis fallaciis ac dolis superior est. Nam qui Dei timorem obtinet, carnis non sequitur voluptatem. Qui Deum timet, huc illum minime vagatur, sed Dominum suum expectat, ne ueniat repente, seq; imparatum offendat ac diuidat. Qui Deum timet cum cura uiuit & sollicitudine, semper enim uigil ac sobrius est. Qui Deum timet, inertie & somno inmodico non indulget. Vigilat enim, & aduentum Domini sui præstolatur. Qui Deum timet, nihil negligit, sed minima quæque perpendit, ne Dominum suum offendat. Qui Deum timet, non est desidiæ deditus, sed omnia diligenter curat, ne a Domino suo plectatur. Qui Deum timet, cuncta diligenter explorat, & quæ Domino suo placere intelligit, ea complectitur & perficit, ut ab eo, cum aduenerit, laudetur. Innumerabilium igitur bonorum causa est timor Dei. Initium enim sapientiæ Psal. 110. timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et ad quem, inquit, respiciam nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

De illo, qui expers est timoris Dei.

QVI Deum non timet, omnibus inimici dolis & insidiis pater. Is a quo Dei timor abest, superbia extollitur, nullum in rebus delectum habet, sine uila cura & sollicitudine somno indulget, otio & desu-

B



DE CHARITATE.

die vacat, in actionibus suis negligens est, voluptates, & quæcunq; sensibus iucunda sunt, aucupatur. Neque enim aduentum Domini reformidat. Itaque præceps ruit in omnia vitia, solatia & consolationes conquirat. Ab afflictionibus & rebus asperis abhorret. Despicit humilitatem. Arrogantiam amplectitur. Quamobrem illum Dominus imparatum offendet, & diuidet eum, & proiciet in tenebras sempiternas. Quis hominem eiusmodi miserum non arbitretur?

De Charitate.

BEATVS ille vir, in quo Dei charitas inest: quoniam in se Deum gerit. Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Qui charitate præditus est, cum Deo omnibus antecellit. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Qui charitatem habet, inuidet nemini: Neminem vana contemnit, non paruum, non magnum, non gloriosum, non inglorium: non pauperem, non diuitem: sed omnium se in simum putat, omnes diligit, omnia sustinet. Qui charitatem habet, non extollitur aduersus quem. Non inflatur. Nemini detrahit, sed detrahentes auersatur. Qui charitatem habet, fraude non utitur, nec fratrem supplantat suum. Qui charitatem habet ab æmulatione, inuidia, & odio alienus est. Non lætatur, cum aliquis cadit, nec cadentem opprimit, sed potius afflictos consolatur, & iacentes excitat. Non despicit fratrem in necessitate, sed illum defendit, & pro salute eius mortem oppetit. Qui charitatem habet, diuine obtemperat voluntati, & verus Dei discipulus fit. In hoc, inquit bonus præceptor noster, cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si mutuam inter vos habueritis charitatem. Qui charitatem habet, sibi nihil arrogat, nihil suum esse proprium dicit, sed quæ-

Io. 13.

DE CHARITATE 10

cunque habet, omnium putat esse communia. Qui charitatem habet, aliena non negligit, sed tanquam propria curat. Qui charitatem habet, non irritatur, non intumescit, non ardet iracundia, iniustitia non delectatur, non gaudet mendacio, neminem existimat inimicum, præter Diabolum. Qui charitatem habet, omnia sustinet, benignus est, & mansuetus. Beatus igitur, qui charitate ornatus ad Deum tendit, quoniam in sinu eius excipietur, cum Angelis versabitur, & regnabit cum Christo. Charitas fecit, ut Deus verbum in terram descenderet. Charitas fecit, ut paradysus nobis patefieret, & reditus omnibus in cœlum ostenderetur. Charitas Deo, nos, cum inimici eius essemus, conciliauit. Itaque merito scriptum est: **Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.**

Io. 4.

De homine non habente charitatem.

MISER & infelix, qui procul abest a charitate. Is enim somnians, dies suos consumit. Quis non doceat vicem illius, qui est alienus a Deo? Qui lucis est expers & in tenebris versatur? Is in quo non est charitas, fratres, inimicus est Dei. Qui fratrem suum odit, homicida est, & in tenebris ambulat, & facile incidit in omne peccatum. Nam qui charitate caret, facile irascitur, facile indignatur, facile in odium labitur. Qui a charitate remotus est ex aliorum iniquitate lætiam percipit. Cadentium non miseretur. Iacentibus non porrigit manum. Errantes non corrigit. Labantes non fuleit neque confirmat. Qui charitate caret, mentis oculis captus est, amicus est Diaboli, totius inuentor improbitatis, rixarum studiosus, auctor contumeliarum, detractorum socius, comes maledicorum inuidorum sectator, vas arrogantiae, & satanæ (ut verbo cuncta complectar) instrumentum.

Io. 3.



DE LONGANIMITATE

In omni errore cæcus versatur, nec agnoscit miser, se in tenebris ambulare. Quamobrem perfectionis parentem, fratres charissimi, charitatem, quæ verus est Deus & Dominus noster Iesus Christus, amplectamur.

De longanimitate.

PRO. 14. VERE beatus ille, qui possidet longanimitatem. Hunc enim & scriptura sancta collaudat, vir longanimus, inquam, multa prudentia gubernatur. Hoc autem quid præstantius? Longanimus semper in gaudio, in lætitia, in consolatione versatur. suas in Domino spes sitas habet. Procul abest ab iracundia, procul ab indignatione, procul a contumelia. Haud facile verbis inanibus mouetur iniuria affectus non dolet. Aduersantibus nõ contradicit. In omni negotio firmus constansq; manet. Nullis fallaciis decipitur. Abhorret ab irritatione. Gaudet in rebus aduersis. Omnibus operibus bonis delectatur. Calumniatores & inuidos penitus fugit. Nihil respondet lacepsitus. Si pungatur non dolet, sed cunctis vulneribus longanimitate medetur.

De virtutis huius experite.

QUI longanimitate caret, caret & paciẽtia. Qui enim longanimis non est, facile perturbatur. Ad iracundiam promptus est. Celeriter ad rixas impellitur. Affectus contumelia maledicit. Iniuria se lacepsitus vleiscitur. Verbis inanibus altercatur. Illius actiones & opera tanq̃ a vento folia iactantur. In sermone sibi ipse non constat. Citò vna ex re ad aliam transilit. Qui longanimitatem non obtinet, constantiæ caret firmitate, iudicio caret, & celeriter immutatur. Cum improbis, & maledicis, & facinorosis ho-

DE PATIENTIA. II

minibus viuít. Mysteria non tegit, sed arcana omnia temere patefacit. Eiusmodi homine quid infelicus?

De patientia.

BEATVS ille, fratres charissimi, qui possidet patientiam Patientia enim spe innitur, spes autem non confundit. Itaque beatus ter, inquam, beatus ille, qui patientiam possidet. Nam qui ad finem vsque patientiam retinet, salutem assequetur. Christus dux est patientium ac princeps. Quousque autem pateat patientia, etsi probè scitis, tamen ad vtilitatem nostrã hac item de re aliquid dicam. Patientia non manet sola, sed multis cum virtutibus coniuncta est. Patiens enim omnibus virtutibus exornatur. Gaudet in rebus aduersis, in calamitatibus probatur, exultat in tentationibus. Ad obedientiam promptus est. In longanimitate stabilis. In charitate perfectus. Maledicentibus benedicit. In bello pace perfruitur. In pace non est dissolutus. In psalmis impiger decantandis. Alacer in ieiuniis. Frequens in orationibus. In actionibus integer, compositus in responsionibus. Obediẽs in mandatis exequendis. Diligens in vitæ ratione instituenta. Gratiõsus in muneribus suis obeundis. In reditu tempestiuus. In mutua consuetudine iucundus. In consilio dulcis. In vigilia lætus. In hospitum cura studiosus. In ægotantium ministerio sedulus. Velox ad subueniendum. Sobrius ad cogitandum. Ad omne denique negotium expeditus. Ad cuncta enim opera bona est paratissimus. Quamobrem magna cum fiducia ad Dominum exclamat, dicens: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exau diuit preces meas. Psal. 39.

De impatientia.

MISER & infelix, qui patientia spoliatus est.



DE BENIGNITATE

Nam eiusmodi homines miseros appellat scriptura, Væ, inquiens, illis, qui patientiam perdidērunt. Væ illi nimitum, qui caret patientia. Qui enim virtutis huius est expertus, ut folium a vento proicitur. Hic contumeliam ferre non potest. Animo pusillo est in calamitatibus. In bello facile superatur. In rebus aduersis conqueritur. Præcipientibus aduersatur. Ignauus in oratione. In vigilia dissolutus. In ieiunio tristis. In continentia negligens. In responsionibus arrogans. Improbus in actionibus. Inuidus in malitia. In mandatis superbus. In altercationibus strenuus. In negotio non bonus. In otio malus. Deliberantibus contradicit. Proficientibus inuidet. Qui patientia caret, multis afficitur detrimentis. Qui patientia caret, ad virtutem peruenire non potest. Per patientiam enim, ut inquit Apostolus, ad propositum nobis certamen currimus. Qui patientia caret, ab hac spe alienus est. Quapropter, omnes, qui sunt impatientes, ut ego sum, ad patientiam omni studio capeffendam cohortor, ut salui simus in Christo Iesu Domino nostro.

De benignitate.

BEATVS vir, qui benignus est, nec facile ad iram & indignationem commouetur. Is semper in pace degit. Qui iræ & indignationis spiritum a se propellit, a bello & tumultu procul existens in perpetua animi tranquillitate versatur. Semper hilaritatem in fronte gerit: Vanis sermonibus non concitatur. Iustitiæ & veritatis studiosus est. Garrulos facile tum cohibet, tum etiam sustinet. Abhorret a contentionibus. Omnes enim amore benevolentiaque complectitur. Rixas & altercationes odit. Nemini iniuriam facit. Morbis non afficitur, qui talis est, sed comoda semper fruitur valetudine. Quietem & pacien-

DE IRACUNDIA 12

tiam diligit. Qui ab iracundiæ spiritu non vincitur, domicilium sit spiritus sancti. Non irritat spiritum sanctum, qui ab iracundiæ spiritu liber est. Hic ad humanitatem, ad charitatem, ad patientiam, ad humilitatem propensus est, & omnibus operibus bonis ornatus a Christo diligitur. O terque, quaterque, beatos, qui spiritum iracundiæ & indignationis a se propulsant quæ longissimè. Horum & corpus, & anima, & mens perpetua fruitur sanitate.

De iracundia.

HOMO iracundus, qui sæpe & celeriter quavis de causa irascitur & indignatur, audiat Apostolum Iacobum ita dicentem: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Verè miser & infelix, qui hac animi perturbatione vincitur. Iracundus enim occidit animam suam. Quænam illius est vita, qui perturbationibus assiduus ex cruciatur? Iracundus & animi tranquillitate caret, & commoda corporis valetudine, semper enim & animus illius molestia angitur, & corpus morbo vexatur. Iracundia caro marcescit, pallor inuadit, cogitatio distrahitur, mens ipsa turbatur, ratio fluminis instar errore confunditur. Iracundus omnibus est inuisus. A patientia & charitate remotus est. Vanis rumufculis permouetur. Lenicula de causa rixas pro uocat. Vbi non requiritur, eo se se ingerit, & ubique relinquit odium sui. Multiloquio, & rebus inanibus & conuiciis oblectatur. Ad humanitatem infirmus est, strenuus ad improbitatem. Quis hominem eiusmodi non deploret & commiseretur? Apud Deum certe & apud homines despectus est & nullius pretii. Nam omni in re inutilis & nequam est iracundus. Quod cum ita sit, iracundiam fugite.

De mansuetudine.

BEATVS, ter, inquam, beatus ille vir, qui misericordiam



DE MANSVETVDINE

est & mansuetus. Quandoquidem hunc etiam Seruus
Matt. 5. tor & Dominus beatum appellat, dicēs: Beati mites,
quoniam ipsi possidebunt terram. Quid hac præstan-
tius beatitudine? Quid hac promissione optabilius?
Quid hac lætitia melius, cum quis Paradisi obrinet
possessionem? Proinde cum immensa huic virtuti
præmia sint proposita, fratres charissimi, ad eam to-
tis viribus contendite. Nemo illius se expertem esse
permittat, ne mox a paradisi possessione reiectus fru-
stra doleat & cõqueratur. Mansuetudini propositam
esse beatitudinem intelligitis. Ad eam igitur omni
studio festinate. Audite quid de illa Spiritu sancto af-
flatus loquatur Esaias Propheta: Super quem requie-
scam, dicit Dominus, nisi super mansuetum & quie-
tum & tremementem sermones meos? Quid hoc pro-
missio admirabilis? Quid hoc honore præclarus?
Videte, fratres, ne quis a tali excidat fœlicitate. Ne-
quis hoc infinito gaudio & lætitia incredibili spolie-
tur. Mansuetudinem excolite & amplectimini. Vir
mansuetus ornamenti omnibus decoratur. Gaudet
in contumelia. Deum laudat in calamitate. Iratos mi-
tigat dulcedine sua. In afflictione fortis est. In pugna
tranquillus. Subalterius imperio lætus. Superbiæ sti-
mulo non premitur. Sub iugo triumphat humilita-
tis. Rectè factis minime extollitur. Pacificè cum om-
nibus viuit. Cum omnibus submissè se gerit. Ad om-
ne opus bonum promptus est. Omnibus in rebus
probat. Laudatur ab vniuersis. A malitia remotus
est. Abhorret a simulatione. A fraude, ab inuidia, a de-
tractione, a garrulitate est alienissimus. Maledicos fu-
git. Calumniatores auersatur. O præclaras diuitias
mansuetudinis, quæ a cunctis collaudatur, & apud
omnes est admirabilis. Demus operam, fratres
charissimi, vt virtutem hanc obtineamus, quo præ-
mia illi proposita consequamur a seruatore no-
stro Deo.

Esai. 66.

DE IMPROBITATE. 15

De improbitate.

EOS vero lacrimis & commiseratione prosequi
debemus, qui mansuetudine vacui improbitati sunt
addicti. Grauis enim in illos sententia lata est. Im-
probi, inquit, perdentur. Hos etiam sanctus Deus no-
Matth. 12.
ster coarguit, malus, inquiens, homo de malo thesau-
ro cordis sui profert mala. Et propheta, insurgenti-
Psal. 91.
bus, inquit, in me malignantibus audiet auris mea.
Græue improbitatis Dæmoniū est, fratres. Quamob-
rem, o. ate, nequis in ipsum incurrat. Improbis
enim nunq̄ est in pace. Semper in perturbationibus
versatur. Semper bile, & dolo, & ira plenus est. Sem-
per despicit proximū suum. Semper murmurat. Sem-
per detrahit. Semper inuidet. Semper emulatur. Sem-
per molestus est. Semper aduersatur. Semper contra-
dicit. Iussa contemnit. Consilia despicit. Instituta dis-
soluit. Diligentes se ludit. Laudantes spernit. Profi-
cientes odit. Admonētes paruifacit. Fratres dirimit.
Innuantes lædit. Mites expellit. Patientes irridet. Ho-
spites auersatur. Alios alibi calumniatur. Inter om-
nes dissidia seminat. Rixas prouocat. Iracundiam in-
flamat ad vltionem impellit. Contumeliis, conui-
ciis, detractionibus delectatur. Ad loquacitatem, ad
petulantiam, ad tumultus promptissimus est. In psal-
mis decantandis est imbecillus, in ieiuniis debilis, in
omni opere bono infirmus & inutilis, in sermonibus
spiritualibus segnis ac languidus. Omnis enim ini-
quitas os eius occludit. Magna profectò commiseratione
digni sunt homines eiusmodi. Quocirca vos,
fratres, cohortor & moneo, vt a maligna improbita-
tis peste caueatis.

De veritate.

BRATVS qui veritate vitam suam exornauit,

DE MENDACIO

10.17. & nullo in mendacio deprehensus est. Beatissimus, qui veritatem colit & obseruat, quoniam Deus veritas est, & mendacium non est in eo. Quis veritatis amantem non admiretur? Deum enim imitatur qui talis est. Veritatis studiosus Deo charus est, & hominibus utilis. Homo verax inter amicos iucundus, & in omni officio & munere rectus est. Personam hominis non respicit, nec inique iudicat. Dignitates & honores non admiratur. Pauperes & inopes nequaquam despicit. In responsionibus simplex est, in iudiciis syncerus, in omni actione diligens, in mutua consuetudine gratosus. Dolum ignorat, odit simulationem, omnia, quæ recta bonaque sunt, diligit, & cunctas virtutes amplexatur. Beatus igitur & foelix, qui sine simulatione semper inseruit veritati.

Demendacio.

IN FOELIX ac miser, qui mendacio delectatur. Ab initio enim Diabolus mendax est. Qui autem affuecit mentiri, nullam in verbis suis obtinet auctoritatem. Inuisus etiam est Deo pariter & hominibus. Quis hominis mendacis miseriam non lugeat? Hic nullo in negotio probatur, & in omni responsione suspectus est. Mendax inter amicos rixas prouocat, iurgia suscitatur, & in mutua familiaritate idem est, quod rubigo ferro. Cor habet audax, sed pertusum. Cupide audit arcana, sed ea reteggit. Facile domos recte infirmitas euertit. Facinora aggreditur, sequitur auctorem esse dissimulat. Sine iureiurando nihil loquitur. Verborum multitudine conatur persuadere. Homo mendax callidus est & versipellis. Magnum animi vulnus hoc vitium est. Nullum maius est dedecus. Mendax ab omnibus despicitur, ab omnibus irridetur. Quod cum ita se habeat, fratres, ab omni abstineamus mendacio, ne cum mendacii parente Diabolo in æter-

DE OBEDIENTIA 14

num ignem coniecti calamitatem nostram frustra doceamus

De obedientia.

BEATVS, qui veræ & non simulatæ obedientie fruitur possessione, quoniam imitator est optimi præceptoris Domini nostri Iesu Christi, qui factus est Phil. 2. obediens vsque ad mortem. Vere igitur beatus est, quippe qui cum filii Dei sit imitator, cohæres etiam illius efficitur. Qui colit obedientiam charitatis vinculo cum omnibus coniunctus est. Qui obedientie virtute ornatus est, præciosam habet possessionem, magnas diuitias obtinet. Vir obediens iucundus est omnibus. Ab omnibus laudatur. Probatum ab omnibus. Vir obediens celeriter exaltatur. Magnos in omni virtute & pietate progressus facit. Vir obediens præcipientibus non contradicit. Iubeantibus non aduersatur. Reprehendentibus non irascitur. Ad omne opus bonum promptissimus est. Haud facile capitur ab iracundia. Si castigetur, a bono proposito non recedit. Si contumelia afficiatur, non excandescit. In ærumnis & molestiis gaudet. In afflictionibus Deo gratias agit. Non migrat ex vno in alium locum. Nec sedem & habitationem frequenter mutat. Correctionibus non indignatur. Vbi vocatus est, manet. Neminem lædit. Patrem non despicit. Fratrem minime contemnit eorum, quibus cum viuunt, non carpit viuendi rationem & institutum. Otium fugit. Aeris & locorum non querit amœnitates, sed, ut sanctus Apostolus iubet, in qua vocatione vocatus est, in ea manet. Multi sunt igitur fructus obedientie. Quare qui possidet eam, beatus est. 1. Cor. 7.

De inobedientia & murmuratione.

DETESTANDVS ac miser est homo contu-



DE INOB. ET MVRMV.

max & susurro. Magna enim in quavis familia plaga est inobedientia & murmuratio. Vbiq̄e parit offendiculum. Charitatem euertit. Cōcordiam distrahit. Pacem distarbat. Contumax & murmurator repugnat precipientibus. Ad omne negotium & opus ineptus est. Nihil enim vlla in re habet gratiæ, nihil venustatis. Inobediens & piger idem sunt. Pigritia enim susurrationis est soror coniunctissima. Itaque in eadem incidit mala, quæ pigro tribuit sacra scriptura.

Pro. 10. Sicut acetum, inquit, dentibus, & fumus oculis, sic piger iis, qui miserunt eum. Si quo enim mittatur, dicit: Leo est in via, in medio platearū occidendus sum.

Pro. 26. Item: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Denique sapientior sibi videtur septē viris loquentibus sententias. Homini inobedienti & susurroni semper excusationes in promptu sunt. Si quod illi opus imponitur, murmurat, & alios etiam peruertit, & auocat ab incepto. Quorsum, inquit, hoc? Cur non illud potius? Frustra labor hic sumitur. Si aliquid delegetur, damnum, inquit, ex hoc itinere proueniet. Si vocetur ad psalmos decantandos, dicit se stomachi aut capitis dolore torqueri. Si illū admones, admone, inquit teipsum, de me erit, quod placuerit Deo. Siquid eum docere vis vtinā, inquit, istuc scires, quemadmodum ego. Nullum vnq̄ opus ipse solus aggreditur. Socios sibi semper adiungit. Quicquid facit homo contumax & murmurator, ingratum est, & inuenustum, & a veritate seiunctū. Conuiuuiis delectatur. Ieiunia contemnit. Rumōres confingit. Dolos ac fraudes comminiscitur. Loquax est, & verborum multitudine inuictus. Modo hunc, modo alium calumniatur. In actionibus rectis tristis est. In suscipiendis hospitibus inhumanus. In amicitia simulator. In odio vehemens. Quamobrem cauendum est, fratres, ne finis inobedientes & contumaces, aut in exequendis mandatis queruli & susur-

DE INVI. ET AEMV. 15

rones, neve nos exquisitis & argutis responsonibus tanq̄ peritiores imperantibus defendamus.

De homine ab inuidia & emulatione alieno.

BEATVS, qui ab inuidia & emulatione liber est. Aemulatio & inuidia coniunctæ sunt. Qui vnā habet, habet & alteram. Vere igitur beatus, qui in hæc vitia non incidit, nec ab eorum altero vulneratus est. Qui æmulatur fratrem in rebus iniustis, cum Diabolo condemnatur. Vincitur æmulator, odio laborat, & inimicitia. Bonis aliorum progressibus angitur. At qui ab hoc alienus est vitio, alienis virtutibus non cruciatur. Siquis honorem aut dignitatem assequitur, minime dolet. Sibi enim omnes præfert. Sibi cūctos anteponit. Se indignum, se omnium infimum arbitrat. Omnes meliores se iudicat, omnes præstantiores. Honores nō querit. Non ambit magistratus. Non appetit dignitates. Gloriam non arrogat sibi. Gaudet cum gaudentibus, cum proficientibus proficit. In virtutis semita progredientes approbat. Rectè viuentes laudibus extollit. Siquem laudabiliter viuentem aspexerit, eum non impedit, ab instituto non deterret, sed adiuar, & ad meliora cohortatur. Si quem repulsum aut deiectum viderit, eum nō mordet, sed consolatur. Si fratrem cecidisse animaduertit, eum nō lacerat & affligit, sed excitat ac sustentat. Cum aliquem iratum cernit, ardentem illius animū mitigat, nō inflammat. Cum charitate ad pacem & concordiam dirigit. Mæstos & calamitosos non despicit, sed dulci oratione subleuat & confirmat. Errantes, & imperitos non spernit, sed amanter instituit, & in rectam reducit viam. Quos tempore precatōnis dormientes offendit, sedulus excitat, & ad orationem inuitat. Nulla denique in re



DE INVI. ET AEMVLA.

deludit aut irridet fratrem suum, sed omnibus aliorum virtutibus & rebus secundis lætatur.

De insidis & æmulatoribus.

Sap. 2.

Es. 5.

QVI autem laborat his vitiis, infelix est, & socius Diaboli, cuius invidia mors in mundum introiit. Inuidus & æmulus omnibus est inimicus & aduersarius. Neminem sibi in honore vult anteferri. Probos & laudatos viros insectatur. Recte incedentibus ponit offendicula. Bene honesteq; viuentes vituperat. Pios & religiosos contemnit. Ieiunantes appellat gloriæ cupidos. Diligentes in psalmis canendis, ambitiosos. Sedulos in ministerio, gulæ deditos. Alacres in bonis operibus, simulatores. Occupatos in studio sacrarum literarum, inertes & otiosos. Modestos in responsionibus, ignavos. Omnia denique peruerit, dicēs bonum malum, & malum bonum: tenebras lucem, & lucem tenebras. Rebus aliorum secundis ac prosperis affligitur. Quem negligentem videt, non corrigit, sed ad malum impellit. Quē orationis tempore dormientem aspicit, non excitat, sed torpentem fouet. Si quem necessaria quiete se recreantem cernit, calumniatur. Si quem in errorem collapsum audit, vbique prædicat. Væ homini inuido, quia perpetuo cordis cruciatu laniatur. Facies eius liuida nube palloris semper obducta est. Corpus viribus destitutum languescit. Omnibus se acerbum præbet. Omnibus est inuisus & inimicus. Omnibus insidias struit. Hodie huius, cras illius se partibus adiungit. Fingit se obsequi cuiuslibet voluntati, & omnes carpit, omnes deserit. Hunc apud illum, illum apud alium rodit, ac vellicat. Ex hoc pestifero inuidiæ & æmulationis veneno detractio, odium, cædes, & innumera bilia mala proficiuntur. Vos ergo qui ciues estis Sanctorū & domestici Dei hæc deterrima vitia pro-

DE HO. ABHOR. A MALE. 16
cul a vobis expellite, ne ad numerum Diaboli satelitum ascribamini.

De homine abhorrente a maledictis & contumelia.

BEATVS & felix, qui maledictis & contumeliis non maculat linguam suam, nec lingua maledica cor suum contaminat. sed cum omnes sciat aliquo vitio laborare, a conuiciis abstinet, & neminem afficit ignominia, sed ab hoc petulantia crimine quæ maxime abhorret. Qui aliis non maledicit, seipsum seruat inculpatum. Is nihil offendit, nusquam incurrit, in nullum incidit offendiculum. Huius conscientia non inquinatur. Qui procacitatis & contumeliæ spiritum vitat, is a malorum concursu tutus est, & Dæmonum exercitum profligat ac superat. Qui linguam in aliorum ignominiam non exacuit, thesaurum possidet, quo nequit spoliari. Qui maledictis alios non incelsit, is fraticidio non obstringitur, & a nemine male audit. Qui contumeliæ spiritui non succumbit, is plane nouit, se ex carne constare, & seipsum purum integrumque conseruat. Qui recedit a familiaritate maledicorum, is cum Angelis versabitur. Cuius aures & lingua contumeliæ veneno non sunt imbutæ, is cibo pascitur charitatis. Cuius labia maledictis non sunt infecta, eius os fructum redolet spiritus sancti. Beatus igitur, vere, inquam, beatus est ille, qui a contumeliis & maledictis abstinet, quoniam in eo spiritus sanctus habitabit.

De maledicis & contumeliosis.

QVI pergit alios maledictis insectari, iis, quæ in alios confert, se obnoxium esse declarat. Nam qui in alterum contumeliosus est, seipsum condemnat. Carni enim addictus est, & mundi laqueis implicatus.



DE TEMPE. ET CONTI.

Maledicus & odii & susurrationis morbo laborat. Et qui eiusmodi est, fraticida & crudelis, atque humani tatis expers iudicatur. At cui timor Dei semper ante oculos versatur, & qui mundo corde præditus est, alterius non gaudet ignominia, nec rectâ cuiusq̄ aperit turpitudinem, neque in proximi labentis casu ruinae conquiescit. Quamobrem miser ac deplorâdus est ille, qui conuiciis & maledictis in alios conferendis assuescit. Itaque sanctus Apostolus inter eos, qui excludentur e Paradiso, maledicos etiam numerat.

I. Co. 6. neque maledici, iniqui, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

De temperantia & continentia.

BEATVS & vere fœlix, qui temperantiæ virtute ornatus est Præclara profecto & ampla virtus est temperantia. Quàm late autem pateat, & quibus in rebus sita sit, benigne, quæso, fratres, attendite. Temperatus & continens in lingua dicitur, qui nec pluribus verbis vtitur, q̄ necesse est, nec inutilibus: Qui prudentiæ freno linguam moderatur: Qui a contumeliis, & execrationibus abstinere: Qui nec vaniloquio, nec calûnia, nec obtræctatione delectatur: Qui mysteria cœlat, & silentio contegit arcana. Temperatus autem & continens in auditu is intelligitur, qui sic auribus imperat suis, vt eas nec verbis inanibus, nec turpibus, nec impiis patefaciat, nec maledicis, aut mendacibus, aut detractoribus accommodet. Oculis vero temperans appellatur, qui eos continet, nec sinit passim impudentes vagari, aut omnia prospicere, quæ iucunda sunt, aut quæ nefas est intueri, quæue possunt ad libidinē incitare. Iam animo temperatus vocatur, qui sic eum regit, vt iracundia non efferatur. In gloria cernitur hominis temperantia, cum nec honores, nec dignitates, nec laudes aucupatur, nec

DE TEMPE. ET CONTI. 17

tur, nec, si vltro deferantur, superbia extollitur & intumescit. In cogitationibus etiam temperantia consideratur, cum quis timore Dei frenat & cohibet blandas atque ardentis cogitationes, nec illis nisi bonæ honestæq̄ sint, assentitur. In cibis verò temperantia seruatur, cum nec delicatas aut sumptuosas epulas requirit: nec præfinitum vescendi tempus aut horam anteuertit: nec dapium pulchritudine aut varietate delectaris. In potu item est temperantia, cum sobrietatem colis, nec comotationibus gaudes, nec temere merum hauris, nec poculis variis & suauibus oblectaris: nec plus non solum vini, sed ne aquæ quidem sumis, q̄ necessitas postulat. In cupiditatibus autem & voluptatibus temperantia maxime perspicitur, cum sensibus nostris imperamus, nec ipsis cupiditatibus indulgemus, nec quæ iucunda suauiaq̄ sunt, cogitationibus venamur, nec odores conquirimus, vt ad libidinem incitemur, nec volûtati carnis obsequimur, sed eam simul cum vitis Dei timore coërcemus. Ille enim vere continens est & temperatus, qui bonorum cœlestium & immortalium cupidine incensus, ad eaq̄ rectis animi studiis & totis viribus contendens, caducam & breuem carnis voluptatem vt vmbra despicit, & ab omnibus abhorret libidinibus, nec vlla corporis specie, aut fœminarum consuetudine delectatur. Nullis blanditiis capitur, assiduas mulierum etiam probarum familiaritates fugit. Vir vere temperans, & fortis, seq̄ ad immensam illam cœlestem quietem ac beatitudinem seruans, omnem libidinem & cupiditatem venturi seculi formidine propellit ac superat.

De intemperantia.

HOMO intemperans ab omni vitio facile superatur. Intemperatus est voluptatis studiosus. Intem-



DE INTEMPERANTIA

peratus multiloquio gaudet, & sermonibus iucundis, manibus, otiosisq; delectatur, suauitate capitur epularum. Ad vescendum & bibendum strenuus est. Stultitia incenditur voluptate. Impuris cogitationibus oblectatur. Libidine corrumpitur. Glorix studio torquetur. Ambitione insanit. Falsa, quasi iam adeptus dignitatem imagine luditur. Fœminarum consuetudine detinetur. Suauum corporum colore & pulchritudine inretitur. Præstigijs vititur. Mulierum obtutu & risu liquefcit. Eorum, quæ vigilans aut in somno vidit, recordatione letatur. Vultus fœmineos pingit in mente sua, manuum contrectationes, complexus eorum, implicationes membrorum, dulcedinem sermonum, risus oblectamenta, nutus oculorum, ornamente vestium, cutis colores, blanditias adulationû, motionum ac gestuum illecebras, contractiones laborum, totius corporis iucunditatem, loca & tempora congressionum, omnia denique, quæ ad cupiditates ac libidines explendas pertinent, in temperatus in animo suo tanq; pictura exprimit & effingit, in eaq; cogitatione fixus heret atq; immoratur. Quod si facram aliquam tabulam modeste pictam, & ad pietatē & pudicitiam excitantem aspexerit, moeret. Si librû aliquem de virtute, de pudore, de continentia disputantem audierit, tristis est. Si grauem seniorum de rebus vtilibus & honestis colloquentium cœtum viderit, aliò se conuertit. Patrum seueritatem fugit. De iciantio sermones auersatur. Fratrum consuetudinē congressumq; declinat. At si fœminas conspexerit, statim exhilaratur, frontem exporrigit, sursum deorsum curfutat ad ministrandum. Tunc in psallendo vocalis est. Tunc strenuus, & vrbanus, atque argutus, vt fœminis illis se gratum iucundumq; præbeat. In quiete & silentio mœstus est & imbecillus. Quàm miser igitur infœlixq; sit, qui temperantia spoliatus, est facile apparet. Itaque, fratres charissi-

DE INTEMPERANTIA 18

mi, cum temperantię fructus & pulchritudinem, in temperantiæ dānum ac dedecus perspexerimus, hanc fugiamus, illam totis viribus complectamur. Magna sunt temperantiæ præmia, & amplitudinis eius non est finis. O beatos ac felices homines illos, qui temperantiæ splendore decorantur. Beatissimos verò ac felicissimos, qui virtutibus sunt omnibus ornati. Qui iustitiæ operibus excellunt. Qui nihil gerunt occulte, quod Deo displicet. Qui semper inseruiunt veritati. Quorum actiones omnes rectæ sunt. Qui nulli consentiunt improbæ cogitationi. Ego verò, qui virtutes omnes laudibus effero, cum earum nullam coluerim, sed in omnibus vitiis annos meos transegerim, quid faciam miser? Nonne quadrabit in me illud, quod scriptum est? Væ vobis, qui oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Quamobrem obsecro obtestorq; vos omnes, fratres, Christianissimi, & Paradisi ciues, vt Deum pro me infelici peccatore deprecemini. Hortor autem vos, vt Christo, qui militiæ suæ vos ascripsit, placere studeatis. Nemo vestrû, qui Dei gratia, iugum Christi subire voluistis, vt ignauus ac negligens reiiciatur. Nolite obsequi carnis voluntati, ne sine defensione deprehendamiante horrendum tribunal ipsius, vbi pro suis quisque virtutibus ornabitur, & eorum, quæ gesserit, siue bona, siue mala, mercedem accipiet. Me miserum, qui nullam eo tempore fiduciam sum habiturus. Quid faciam infelix in eo necessitatis, quæ vitari non potest, articulo? Beati, qui cum fiducia tunc ante iudicē sistuntur, & de manu Domini præmia percipient. Væ illis, qui tunc minimis propè ac leuib; de causis confunduntur. Quam enim afferet excusationem, qui vel inanis gloriæ, vel arrogantix, vel contumaciæ, vel inobedienciæ, vel gule, vel perulantix, vel loquacitatis, vel superbiæ, vel inhumanitatis, vel iactantiæ, vel

Luc. 2.



DE GRATIA DEI

inindentia, vel contentionis, vel iracundia, vel contumelia, vel calumnia, vel detractionis, vel incontinentia condemnabitur? Quod nobis in praesentia lucrū aut voluptas ex his, quae tam leuia caducaque sunt, esse potest? At quae supplicia, qui cruciatus tunc inde consequentur? Proinde, fratres charissimi, nequis nostrum eo tempore grauissimam & acerbissimam damnationis sententiam audiat, omni studio vigilandum est, ut non solum a magnis & grauibus vitis & criminibus temperemus, quod mihi quidem de vobis exploratum est, verum etiam ab iis, quae parua videntur & leuia. Callidus enim hostis noster Diabolus per haec, quae homines ut minimi ac nullius momenti fere negligunt, eos in maxima & grauissima praecipites trahit. Omni igitur diligentia minimis etiam in rebus astutissimi aduersarii dolos & insidias caue te, ut beati cum Christo gloria fruamini sempiterna. Amen.

De gratia Dei.

DA operam, ut diuinam gratiam habeas in mentis tua, ne irridearis. Obserua illam, ut custodem tuam, ne molestia affecta deserat te. Honora illam, ut magistrum tuam, ne si abs te discesserit, in tenebris ambulans. Sine praesidio ipsius, praelium in eas, caue, ne turpiter pereas. Virtutis iter sine illa duce & comite ne ingrediare, draco enim insidiabitur tibi. Sine consilio eius, ne tractes ea, quae ad animam pertinent, sunt enim multa, quae sub specie boni mentem distrahunt. Haec si tibi nauiganti non astuerit, inanes erunt labores tui. Nisi ab hac aduersus inimicos victus fueris, cum ignominia victus lugebis. Haec nisi tibi praesto fuerit, serpentis dolos ignorabis. Prompto igitur animo illi obtempera, & omnia tibi perspicue demonstrabit. Studiose audi praepcepta eius, & celeriter ab omni sol

DE GRATIA DEI 19

licitudine liberaberis. Adhibe illam tibi contubernalem, et familiaritatem eius honorificam experiere. Assume illam sororem tibi, ut inquit scriptura, & patris tui semitam ostendet tibi. Efficiet te filium Altissimi, si tu in sororem illam acceperis. Tanquam mater verba sua porrigit tibi, & ab insidiis te velut infantem custodiet. Te paruulum incautum gubernabit, & virum perfectum reddet. Crede illius beneuolentiae, est enim principium omnis creaturae. Ignoras adhuc ipsius erga te amorem, quoniam & lactentes filiioli matris ignorant sollicitudinem. Illius te consilio trade, atque ita beneficia eius intelliges. Ignorant & pueri, quomodo nutriantur. At ubi paulatim crescendo euaserint viri, naturae vim admirantur. Tu itidem si in Dei gratia perstiteris, peruenies ad perfectionem. Id ex Ioseph facile poteris intelligere, cum oues pasceret. Neque enim statim ad summum peruenit, sed multis exercitationis gradibus permittens ab ea se gubernari, cum quid fieret, ut puer, penitus ignoraret, tum demum, ad quantum dignitatis fastigium prouectus esset, animaduertit, cum illi tanquam Regi coronam imposuit. Tunc utilitatem ipsius intellexit, cum in regio est ab ea folio collocatus. Tunc ideò se fuisse captiuum cognouit, ut exploraretur. Quemadmodum mater filio artem tradit, sic illum gratia Dei per patientiam docuit pietatem. Sicut magister proprium instruit filium, sic illum gratia exercuit in seruitute. Sicut mater filium verberat, ut sapiens fiat, sic eum laboribus obiecit. Ille bonis eius consiliis paruit, & ab ea tanquam filius primogenitus honoratus est. Ostendet illi gratia cuius esset naturae, & filium effectum, regem constituit. Simul cum ipsa regnauit, & iccirco ad finem usque recte se gessit. Non deseruit eum in principatu, quia nec ipse ab ea discesserat, cum tentaretur. Honoris ac dignitatis eius studiosa fuit, quoniam & ipse in rebus aduersis eam di-



DE GRATIA DEI

lexerat. Illius veluti matris cupidus atque amans fuit, & pulchritudinis eius hæres extitit. Ipsius tanquam magistræ pertulit reprehensionem, & ab ea, rerum, quæ oculis cerni non possunt, didicit sapientiam. Singularia, & quæ sua erant propria, nesciebat, & illi obtemperans percepit ea, quæ ad homines pertinēt vniuersos. Quid faceret, ignorabat, & ad extremum Regibus, quæ facerent consuluit. Vbi nam esset, vix intelligebat, & quid omnibus esset hominibus euenturum prænuntiavit. Quandiu alieno sibi parendum esset imperio, nesciebat, & quàm aërba, & longa futura essent tempora, prædixit. Nam quod sine gratia nemo videt ea, quæ sub aspectum non cadunt, ex iis, quæ ab illo gesta sunt, planè intelligi potest. Sapientes appellabantur Aegyptii, sed cum essent sine gratia, erant insipientes. Videbantur & rerum, quæ oculis cerni uequeunt, vt incantatores, tenere scientiam, sed ipsorum scientia erat inscientiæ plena & tenebrarum.

Eph. 6. Dixit & Paulus esse spiritalia nequitie, vt intelligamus eos habere scientiam inuisibilem, sed impropria & incertam, quippe qui nihil planè norunt. Illud præterea pater ex Ioseph, quod gratia diuina rebus omnibus inuisibilibus antecellit. Hanc nihil latet, ideo qui illam possidet, tentationibus non succubet. Ipsa verò latere non potest. Est enim lux, quæ a tenebris comprehendi non potest. Spiritalis homo, vt inquit, Paulus, de illis, qui Ioseph sunt similes, loquens, omnia iudicat, ipse autem a nemine iudicatur. Qui Dei iudicium nouit, mundi iudicia contemnit. Magistri stultorum erant Aegyptii, quos Ioseph ne bonos quidem esse discipulos demonstrauit. Si magistri sunt insipientes & imperiti, multo magis tales erunt ipsi discipuli. Qui nullam habent vim, verbis vtuntur bene sonantibus. Et meretrices ad decipiendos homines fucum adhibent. Ioseph iuuenis sine literis adiuvante gratia senes Aegyptios superauit. Apostoli

DE GRATIA DEI 20

quoque sine literis erant & idiotæ, sed tamen Pharisæos, qui multa loquebantur, vicerunt, dicentes: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum iudicare. Non enim possumus, quæ vidimus & audiimus non loqui. Eadem gratia in sanctis fuit. Spiritus sanctus docebit vos, inquit Christus, omnia quæ ventura sunt. Et Apostolus habere nos, ait, spiritum Dei, per quem omnia scimus. Non habemus spiritum mundi, quo quidem spiritu Aegyptii sapientes edocti nihil sciebant. Nec mirum, quod & mundi spiritum appellarit. Quandoquidem & homines & bestię habere animam dicuntur. Nomen, nullum gratiæ Dei præiudicium facit. Neque enim ex nominibus actiones, sed ex actionibus nomina censentur. Ex iusto Ioseph intelligite, per tentationes oportere nos ad pulchritudinis gratiæ cognitionem peruenire. Gratiæ filii cupiunt esse permulti. Verum quid prodest voluntas, nisi opera accedant? Multi per fidem gratiæ filii sunt appellati, qui tamen illam præ negligentia non assequuntur. Non omnes, cum viri euaserint, matres suas obseruant & colunt. Idem gratia quauis vbera sua multis præbuerit, a paucis tamen vt mater honoratur. Pariendi dolores & labores educationis non omnes considerant. Sic & in nobis pauci sunt, qui gratiæ beneficia perpendant. Si, quid agat gratia, scire cupitis, id vobis ipse Ioseph declarabit. Omnium & bonorum & malorum vt mater curam gerit. Quamobrem & Aegyptios sustulit. Paucos habet heredes, quorum consuetudine delectatur. Hos, si ab officio recesserint, auersatur. Nec tamen claudit viscera sua, ne moriantur. Quod si aduersus ingratos talis est, cur eius amicitiam fugimus? Si aduersus contumaces benigna est, nonne totas bonitatis suæ diuitias in amicos effundet? Siquando latet, inertię ac desidię ne fucumbamus. Cum permittit, nos tentari, animos ne despondeamus. Quid nobis expediat, non ignorat.



DE GRATIA DEI

Naturam & mensuram cuiusque cognitam habet. Quantum cuique satis est, tribuit. Benignitatem videtur aliquando suppressere, quia nobis ita cōducit. Sinit nos conqueri, vt solent medici, cūm agrotantibus vinum aut cibum subtrahunt. Intelligite, quæ dico, ne perspicuis in rebus tempus consumam. Quæ sit gratia, quæ natura, quæ cognitio, quæ electio, quæ induratio, quæ communicatio, non ignoratis. Et Paulus affirmat esse gratiarum diuisiones, easq; ad vtilitatem tribui. Quando non accipimus, ne desistamus. Cūm accipimus, similia ne requiramus. Varietas nō debet efficere, vt quod nobis datur, gratiam non putemus. Tempora, & naturas hominū, & mores perpendamus. Nec copia diffluit Aegyptius, nec fame conficitur Chanaanus. Nonne Iacob iustus est? Nōne genus Israel egressum erat ex Aegypto, vt terre Chananiam susciperet hereditatem? Nōne fratres pastores? Mercatores Madianitæ? Ioseph coniector somniorū? Et hanc ex scriptura gratiam esse credimus, & fidem ipsam. Si omnia essent eiusdem generis & similia, res non prouidentia, sed natura disponi arbitraremur. Abel assecutus est gratiam, qui per proprium sanguinem moriens adiunctus est Deo. Enoch trāsatus est, ne videret mortem. Noe in gratia seruatus a diluuiō. Magna in præsenti vitæ statu varietas est, quia diuersa etiam est electio. Ex gratia, probationis quoque discrimen intelligemus. Non eisdem omnes tentationibus subiecti sunt, quia nec eodem sunt omnes ingenio præditi. Vna quidem est omnibus corona propofita, sed variis ad eam certaminibus contendimus. Id quod ex nauigantibus possumus intelligere. Vnum est mare, sed nauigationum cursus est varius. Naues sunt similes. Attramen alia prosperis etiam ventorū flatibus vtentes submerguntur: Alia summis periculis iactatæ conferuantur. Multæ ab vno eodemq; vento varie commouentur. Scopuli enim, & promonto-

1. Cor.
12.

DE GRATIA DEI 21

ria, ventos fluctusq; mouent, & gubernatorum artē nunc adiuuant, nunc impediunt. Magni etiam refert, quæ nauis sit forma, quæ vela, quæ gubernacula. Huc, siquid deest, vosmet adiungite. Ego enim vt artifex imperitus parendi cupiditate adductus proculi, quæ sciebam, paulo fortasse arrogantius, quod tamen vos boni cōsuletis. Imbecillitatem meam veritus excusare, quæstionis partem aggressus sum, quam cūm accuratius vellem exponere, succubui. Vos errores meos emendate. Quæ defunt orationi nostræ, quæ vitæ speculum esse debuerat, ea vos bonis operibus explete. Bonam suscipite voluntatem, & imperitię facile ignoscetis. Et quoniā ego vobis ex paupertate mea, quod potui, libenter exhibui, vos ex diuitiis vestris precationis & paternæ charitatis munus nobis impertite. Pauper ego diuitibus mutuum dedi. Non fortem, sed fœnus exigo. Non laudes, sed preces requiro. Nō mercedem, sed amorem exposco. Onus hoc mihi imposuistis, non quod admonitione indigeretis, sed vt in me essetis liberales. Gutta non egent, qui fontem habent. Lacte non indigent, qui gregem pascunt. Qui mel conficiunt, iis nō est opus, vt querat, quis mellis sit sapor. Qui possident margaritam, iis obolum vt acquirant, non est laborandum. Vos ex agro, quem colitis, fructum nobis aliquem præbete. Animæ cibum largimini, qui vitæ lignum possidetis. Vt quæ videntur, caduca sunt, ita verba sunt nostra: sed ea vos operibus implentes reddite sempiterna.

De linguae morbo & cæteris niij.

VARIÆ in omnibus hominibus sparſæ sunt cupiditates, vt aliquod vnusquisq; certamen habeat, in quo mentem assidue suam exerceat. Sunt qui gula delectentur, ab adulterio abhorreant. Quidam arrogantia tument, a furto sunt alieni. Alius auaritia deti-



DE MORBO ET VITIIS.

netur, corporis spernit voluptates. Nonnulli luxuria diffuunt, elegantiam negligunt vestimentorū. Sunt alii vino dediti, a superbia remoti. Quidam a libidine procul absunt, sed conditam in animo simulationem gerunt. Delicias aliqui spernunt, sed obrectatione capiuntur. Est qui vitio aliquo superior existit, cum in alio misere volutetur. Hic ab vna est reprehensione remotissimus, in alia autem turpiter versatur. Qui laqueum vnum euadit, in alium se se penitus induit. Vitia quippe sunt innumerabilia. Porro paulatim homines decipiuntur, & ex paruis principiis in magna crimina præcipites ruunt. Cum in seruitutem redigere studet aliquem inimicus, considerat, in quod vitium pronior inclinēt natura ipsius, vt cum vinculis propriis oblectetur, perpetuo maneat in seruitute. Scit enim versutus & callidus aduersarius, si nos ingratum vinculis obstrinxerit, fore, vt illis celeriter contractis, in libertatem nos vindicemus. Quamobrem iucunda cuique iniicit vincula, vt in illis libentius conquireat. Potest enim adiuuante diuina gratia mens ex inimici retibus se se explicare. Nunc autem obstricti vincula nostra diligimus, atque osculamur, & seruitute ipsa superbi sumus, & tanquam liberi gaudemus. Qui enim inuidie vitio contabescit, quoniam a libidine remotus est, se liberum putat. Et calumniator, quia rapinas odit, se bonum existimat. Sua plerique vincula ignorant, nec quomodo vinculi teneantur, animaduertunt, ebriorum instar, qui vino oppressi nec vinciri se sentiunt, nec vincula ipsa perspiciunt. Neque tamen Dei benignitas finit, vt maiora nobis onera tentationis imponantur, quam possimus sustinere, sed virium, quas nobis tribuit, rationem habet. Itaque pro sua quisque virili niti debet. Quo tempore tabernaculum ad Hebræis constructum fuit, ab omnibus tam diuitibus quam pauperibus aliquid offerebatur. Pro suis quisque copiis afferebat, alius aurum, alius margaritas,

DE MORBO ET VITIIS. 22

alios lapides pretiosos. Pauper pilos, aut pelles. Foeminae locupletes sericum, inopes viduae tinctoria vellera. Atque ita totus tabernaculi apparatus ex omnium muneribus constans omnes commendauit. Dominus enim vota singulorum tam pauperum quam diuitum suscipiebat. Volebat enim ostendere se, quemadmodum accipiebat ea, quæ pro suis quisque facultatibus ad tabernaculi constructionem offerebat, sic etiam pro cuiusque actione preces & vota singulorum nulla personarum habita ratione suscipere. Vt enim inimicus noster variis nos occasionibus ad perniciem trahere conatur, sic diuersis Dominus occasionibus studet ad salutem perducere. Et quemadmodum latro vnicui confessionis verbo Paradisi factus est ciuis, sic vno blasphemiae verbo aliquis fit obnoxius gehennæ. In vno obrectationis verbo deprehensa Maria niuis instar facta est leprosa. Quod si Maria, quæ erat Prophetissa, tales linguæ maledicæ poenas dedit, quomodo punietur ille, qui tot blasphemias & maledictis incubunt. Et quemadmodum Maria quauis id, quod erat, diceret, tamen quia obrectando loquebatur, damnata est, sic etiam si vere cuiquam maledixeris, tamen veritas illa tua iniustitiæ condemnabitur. Si merito reprehendis, ne clam maledicas. Aut libere & aperte fratrem argue, aut tace, nec illi in occulto detrahe. Inutilis enim euadit iustitia, cum illi dolus & improbitas admiscetur. Sanctitas improbatur, quæ cum immunditia coniuncta est. Inanis est illa castitas, quæ in deliciis versatur. Et fides ea negligitur, quæ præstigiis & diuinationibus vacat. Vana est illa confessio, in qua cernitur simulatio. Despiciuntur liberalitas cuius est superbia comes. Inutile ieiunium redditur, si detractationem adiunctam habeat. Inanis redditur & dilectio, quæ zelo confusa est & rerum naturalium affectione. Deformis efficitur veritatis pulchritudo, quando super improbitate versatur. Interficit cibum, in quo la-



DE MORBO ET VITIIS.

titat aconitum. Caro, quæ munda est, communis im-
mundaq; ducitur, propterea quod sacrificiis & immo-
lationibus inquinatur. Ex iis, quæ manifesta sunt, oc-
cultas debent intelligi. Aperte lepra Mariæ corpus oc-
cupavit, quia clam tota illius anima peccato erat in-
fecta. Ex perspicuo eius supplicio, ei imen patuit,
quod latebat. Per foetidam ipsius lepram didicimus, quæ
grave vitium ac detestabile sit obrectatio. Corpus le-
pra infectum veluti speculum animæ, quæ non per-
spicitur, maculam indicavit. Ex carnis corruptione
patefactum est, quomodo detractoris animus corrumpitur.
Ex homine exteriore interiorem suum hominem
intellexit. Quomodo enim ipsa defecerat a fratre suo,
ita corpus eius ab ea defecit, ut ex semetipsa
disceret charitatem. Discamus & nos, quæ grata
Deo sit concordia & mutua beneuolentia. Sicut enim
Maria doluit ob corporis mutationem, sic indignatus
erat Deus, quod ipsa a fratre proprio esset ab alienata.
Ideo corpus hominis ob diuersa vitia variis mor-
bis afficitur & immutatur. Membra enim corporis
nobis sunt inimica, quia nos a Deo & proximis no-
stris alienantur. Mutuam igitur inter nos concordiam
& pacem complectamur. Totis castis vulgatum est,
Mariam repente lepra correptam esse, quod linguam
in fratrem mitissimum, qui pro ipsa Dominum de-
precabatur, excussisset. Iustus igitur iudex de Prophe-
tissa propter eius obrectationem meritas penas sum-
psit. Detestatur enim linguæ petulantiam, qua in-
sipientes homines delectantur. Plurima Moses ipse si-
gna & miracula ediderat, & tamen modico linguæ
psu excidit e terra promissionis. Ingens & horrendum
mare iter illi prohibere non potuit. At verbum unum
iniquè prolatum ei tanquam murus obstitit, ne progrede-
retur. Si Mosè, qui quasi Deus extitit Pharaoni, uni-
ca vox exclusit a terræ promissionis possessione, quanto
magis petulantia linguæ, quam in Deum atque honi-

DE MORBO ET VITIIS 23

nes exacimus, a Paradiso nos arcebit? Ignis sanctos **Leu. 10.**
deuoravit sacerdotes, qui cum factis essent iusti, ver-
bis erant coinquinati. Si tales ac tanti viri talia per-
pessi sunt, quæ nos manent supplicia, nisi ab hoc lin-
guæ vitio temperauerimus? Fratres igitur nostros
contumeliis afficere desinamus. Impiis & impuris
omissis, maledicos terra deuoravit. Aegyptios mare
deglutiuit. Dux exercitus verbum protulit, & meri-
tas penas luit, cum populi pedibus in porta concul-
4. Reg. 7
catur. Quod si, ut Dominus ait, de omni verbo otioso
reddenda est ratio, quid fiet de contumelioso? Varios
12.
igitur occasionum laqueos miseris mortalibus tendit
inimicus. Alius ut ere alieno obrutus detineretur. Alius
ut sponsor pro altero trahitur. Videmus quotidie alio-
rum nomine alios interire. Et qui nihil debent, non
minus, quam debitores decoquere. Quo quidem ex-
plo iustorum & iniustorum crimina patehant. Iustus in
rebus propriis infons est, in alienis autem obnoxius
innenitur. Siquis enim eo presente veritatem oppu-
gnet atque irrideat, aut bonum aliquem maledictis
infectetur, ipse autem taceat, nonne taciturnitas illi
vertetur in crimen? Silentio enim suo maledicta com-
probat tanquam vera. Id magnorum ex principum licet
intelligi potestate. Siquis enim in Regem, iure an iniu-
ria nihil refert, inuehatur, qui adsunt, ea, quæ in Regem
dicuntur, renunt audire. Quod si quis interesse per-
git & audire, idem in utroque supplicium consti-
tuitur. Interit vnus propter linguam, alter propter
auditum. Narrat aliquid calumniator, tu verò illi te
prebes auditorem. Et quam ille ore suo molitur cedere,
tu eam excipis aurium sinu. Et acerbum medicum fer-
mentum in animo tuo commisces. Vnde mors prin-
cipium reperit? Nonne per aures Euz, dum illam ser-
pens alloqueretur, sibi aditum patefecit? Potest enim
hostis noster loquentis oratione racentes occidere.
Et quos proprio ipsorum ore nunquam læderet, eos per



DE MORBO ET VITIIS

aures interimit. Et quos actione infontes videt, eos occidit cogitatione. Demones clamoribus confidentes veritatem Dominus iussit obmutescere. Neque enim ipse, qui erat veritas, opera ipsorum sibi fidem haberi voluit, sed quæ vera sunt, per veros nuntios promulgari. Cur Dæmonem, a quo collaudabantur, Audire Apostoli recusarunt? ne aures mundæ impuris eorum vocibus contaminarentur. Si Diaboli laudes vt maxima probra vitauerunt homines sancti, quantopere calumniæ & maledicta vitanda sunt? Veritatis specie decipere audientes versipellis Diabolus confuevit. Iccirco Dominus ne vera quidē a Dæmonibus audire voluit. Eadem pluuia irrigantur herbe, tam bonæ, q̄ malæ. Forsitan & pluuia, quæ natura bona est, in herbarum malitia agit. Et serpens, licet dulcissima comedit, ea protinus vertit in amaritudinē, quam si cuiuspiã asperferit, vā illi. Sic ex veritate mendacium confingitur vti cicuta mortiferum. Sub eius sermonibus suauissimis exitiosa latet amaritudo. Ad simplices decipiendos lingue dulcedinem adhibet serpens antiquus. Huiusce rei sit exemplum Iudas Iscariotes, qui sub oris osculo, & lingua pacem assimulante dolum cælans, in Dominum, qui cordis intima penetrat, struxit proditorem. Quod si in ipsum creatorem talis deprehensus est mendax, qualis in te erit? Quis mendace sceleratior, nisi is, qui verbis eius aures accommodat? Morti vtrō se obtulit Seruator, & orationi mendaci noluit aurem præbere. Os suū aperuit & acetum cum felle suscepit, qui scelesti verbum aure suscipere recusauit. Os proditori exhibuit osculandum, & mendaci noluit respondere. Præbe tu quoque os tuum maledicis osculandum, aures autem minime. Nam si os illis tuum præbueris, osculum eos condemnabit. Sin aures illis accommodaueris, te verborum gustus occidet. Satius autem erit, si veneni & odorem & gustum euitaris. Cur fumum celeriter

DE MORBO ET VITIIS 24

fugis, mendacem autem libenter audis? Abhorres a fetore, & iuxta maledicum sedes? Singula corporis membra a rebus, quæ nocere possunt, seruanda sunt. Si corpus a libidine remotum est, a detractione linguam custodi. Qui enim libidini nequit indulgere, mentiri potest & calumniari. Si tuis ē membris vnū valeat, aliud ægrotet, totum corpus dicitur ægrotare. A militibus exemplum sume. Nonne totum militis corpus munitur ferro? At si per tenuem aliquam rimulam iaculum ingrediatur, strenuo militi mortem affert. Quanto magis per apertas aurium fores mors ingredi poterit? Ingens est enim auris fenestra. per eam quippe mors in mundum ingressa cunctas gentes & nationes deuorauit, & adhuc insatiabilis manet. Claustris igitur ac vectibus obstruendæ sunt aurium fores, ne calumniæ & obrectatio valeat introire. Magna vis est huius vitii, nec ideo contemnenda, tanq̄ interficere nequeat. Ex volucrum aucupio discet, quæ parua videntur, haudquāq̄ esse spernenda. Contingit enim, vt auis in laqueum incidēs paruula capiatur vnguicula, nec illi quicq̄ profinc alatum vires. Summa vnguicula, quæ nullius momenti videtur, capulo est comprehēsa, totum autem corpus reliquū extra laqueum est, & tamen totum detinetur. Et Di-
I. Co. 6.
uus Apostolus vnam & eandem in fures, adulteros, & maledicos sententiam tulit. Nemo iniquens, istorum regnum Dei possidebit, sed pariter iusto Dei iudicio omnes cælesti hæreditate priuabuntur. Iam vt
Gen. 9.
par omnibus supplicium deberi scias; qua de causa Chanaam in execrationem æternam incurrit? Nōne quia iustum irrisit? Neque vllō alio grauiore facinore damnatus est, sed ob leuem irrisionem in horrendā illam sententiam incidit. Et propter linguæ petulantiam tam acerbas poenas dedit. Non aliud scelus, sed os ipsius, hominem miserum perdidit. Si propter risum exiguum in tantam ille decidit calamitatē, quis



DE MORBO ET VITIIS

non contremiscat, & irrisiones ac ludibria fugiat, ex quibus tales execrationes proficiscuntur? Iustus enim ille a benedictionibus excludens Chanaam, & maledictionibus tradens, iudicium descripsit, quod subito ri sunt illi, qui ludibriis vacant, & irrisionibus delectantur. Si calūniator sub amici persona fingit se hilaritatem amplecti ac risu gaudere, & Chanaam, dum hilaris est, ac risu se se oblectat, maledictionem inuenit. Sapientissimum audi Salomonem, quid in irrisione & calūnia latitet enarrantem. Qui calūniatur egentem, exprobrat factori eius. Hominis enim derisio tendit in creatorem. Tu quod in risu cernitur, simpliciter animaduertis. Quid autem in illo fraudis ac doli sit conditum, ignoras. Iustus ille Noe dolū agno nit, eumq; minime aperiens ignorati Chanaam excludit a benedictione, vt cognita risus pernicie, fratre

2. Reg. desinas irridere. Semei in virum innocentem maledicta cōiecit. Et Apostolus terribilem in maledicos sententiam tulit. Nos, quid lucri maledici faciant, videamus.
1. Cor. 16. Non in adulterio, aut furto deprehensus est Semei, sed maledictis vsus est, ex quibus calūnia confuitur, qua facta infectaq; pronuntiantur. Animus enim dolore stimulatus parit contumeliam. Sic animo affectus Semei, conuiciis Regem innoxium oneravit, eum accusans vt Saulis interfectorem, qui sapius a morte Saulem eripuerat. Et quoniam falso crimine Regem inculpabat, merito a iusto damnatus est iudice. Cū enim terminos sibi a Salomone præscriptos transfiliisset calūniator, pœnas luit, & qui linguam iustum in homine exacuera, acutum in se gladium expertus est, atque ita tum in hoc seculo, tum etiam in futuro supplicium pertulit. Quis igitur a peulantia nō abstineat, ne duplici supplicio afficiatur?
1. Cor. 6. Eodem iudicio Paulus molles, adulteros, fures, & maledicos condemnauit. Esau propter intemperantiam vendidit primogenita. Habes & tu primogenita tua.
Vide,

DE MORBO ET VITIIS 25

Vide, ne illa perdas. Magnum enim quiddam est homo. Qui superat omne pretium, re minima & vili se ipsum prodit. Etenim si veritatem abieceris, stultus fies & similis Esau, Audi rem admirandam, quomodo verba factis præstiterint, & fides naturam superaerit. Primogenituræ munus, quod videtur eripi nō posse, oratio se se insinuans ademit. Quod Esau naturaliter possidebat, id Iacob fidei studio est assecutus. Fides & iusiurandum mutuo cōsensu generationis vim declarauerunt. Et primogenita, quæ per carnem tribuuntur, per spiritū accepta sunt. Quæ iusiurandum exiit, ea fides suscepit. O rem admirabilem, quæ inter primogenituræ venditorem & emptorem est consecuta. Ille damnum neglexit, hic autem innocens perman sit. At quomodo Esau primogenita exiit, quæ deponi nō possunt? aut quomodo induit illa Iacob, quæ adiungi nequeunt? Quod si mercatura, quam isti pueri exercuerunt, adeo naturam superat, vt nequeat expli cari, quis audeat aggredi quæstionem illam, qua inefabilis Vnigeniti generatio continetur? Dic mihi rursum, cur Iacob a Manasse in Ephraim trāstulerit primogenita? Nonne vt illi gloria & decus accresceret. Primogenitura munericibus eximiis & innumerabilibus cumulata est. In hac baptisma descriptum est. In hac fides est ob signata. Hæc fortitudinem significat. Hæc gloriose virginitatis figuram gerit. Hanc pretio Iacob mercatus fuerat, & eā gratis tribuit Ephraim. Qua quidem in re nec Manasses culpandus est, nec largientis auctoritas vituperanda. Quis igitur gentiū primogenituram reprehēdat? Quod si Iudæi audeāt id facere, reprehēdant prius, quod Manasse adempta fuerit, Qui enim abstulit illam ab eo, non peccauit. Quod si iure accusari non potest Iacob, quamuis a Manasse, qui erat innocens, primogenituram transtulerit, quomodo quisq; ausit illum reprehendere, qui vt iustus iudex, primogenituram a Iudæis abstulit.



DE MORBO ET VITIIS

qui Dominum interfecerant? Si iurifurandi vis tanta fuit, vt ab Esau auferret primogenita: cum enim iurando se se obstrinxisset, noluit se se periurio contaminare: quibus afficiuntur supplicis, qui frangunt fidem, & periurio violant iusurandum? Esau ab iis, quæ cum detrimento suo pepigerat, recedere noluit, & tu fœdera, quæ pro salute tua pepigisti, audes violare? Herodes quod in perniciem suam promiserat, obseruauit, & tu quod æternæ vitæ gratia promiserat, non obseruabis? Cædis instar est contumelia. Et lingua non minus nocet, quàm gladius. Cogitatio & sermo impudicus inquinat, vt adulterium. Occulta simulatio tanquam laqueus tendit infidiis. Præuam consilium veneno perniciosius est accipientibus. Improbata deliberatio perinde atque opus malum damnatur. Iracundia, vt gladius ferit. Inuidia telo grauius vulnerat. Exitii foueam calumniam struit. Malas cogitationes fugiamus. Cogitata non aliter ac facta censentur. Bonis igitur cogitationibus incumbamus, quibus operum merces propofita est apud eum, qui consilia cordium explorat. Operis instar consilium est, in eo enim arbitrii nostri ratio nititur. Suum quæque res contrarium habet. Lux tenebris contraria est, amaritudini dulcedo, vigilia somno. Qui fecit hæc omnia, nihil reliquit, cui non adiunxerit aduersarium. Si mortalis homo arte sua contraria inter se componit, & aduersus laborem quietem admouet, remediaque & medicamenta terra marique conquirat, ac suam cuique morbo, vt res tempusque postulat, prudenter adhibet curationem, quanto magis immortalis ille rerum omnium procreator ordine suo cuncta disposuit, atque ita moderatus est, vt in promptu sint, quibus se quisque ab inimicis defendat? Habes igitur arma, o homo, quibus aduersus omnes hostes & aduersarios tuos utaris. Hæc tibi ad salutem data si spreueris, victus, in iudicii die, quomodo te excuses, non habebis. Ad sunt nobis contra

DE MORBO ET VITIIS 26

illius machinas varia armorum genera. In nos ille si tela ignita contorferit, habemus & nos orationis clypeum inexpugnabilem. Si libidinis bellum intulerit, sociam in pugna animi dilectionem assumemus. Si nos iniquitate captiuos ducere conabitur, ad iustitiam confugientes salutem nostram consulimus. Si te per malitiam vulnerare studuerit, ad fraternam accurrito charitatem. Si te per arrogantiam oppugnabit, humilitatem opponito. Si aduersus te corporis cupiditate incitarit, temperantiæ thoracem induito. Si te lasciuia sagittis petierit, sume galeam castitatis. Si nos diuitiarum cupidine stimulauerit, paupertatis habemus beatitudinem. Si gulæ vitio nos adoriatur, ieiunii alas assumemus. Et quoniam inuidia euerfionis est causa, præsto aderit charitas, si volumus, quæ corrigere possit & ædificare. Vt enim illi sua sunt arma ad oppugnandum, sic nostra nobis adsunt ad defendendum. Si nos Pharaon persequatur, adest mare, quod eum submerget. Si vt Sifara elatus intumuerit, per ecclesiam e medio tolletur. Si vt Senacherib bello nos premeret, sacco & cinere superabitur. Si tyrannum Babylonicum fuerit imitatus, sanctus non deerit Daniel. Si luxuriæ flammam accenderit, aderunt qui castum Ioseph imitentur. Nullus eius conatus a nobis non dissoluetur. Nulli sunt morbi, nulla vulnera, quibus sua non adsint remedia & medicamenta. Quam ille rubiginem obducet, cui discutienda non sit fornax præparata? Ecquod ille damnum intendet, cui repellendo non adit auxilium? Quas parabit infidias, quæ nobis non sint manifestæ? Quam machinam molietur, cui euertenda non sint idonei vel idiotæ? Quas afferret vires, vt eas nequeant vel feminæ superare? Fornaces instruxit, at pueri illas extinxerunt. Lacum effodit, at eum Daniel contempsit. Epulas parauit, at eas neglexit Ananias. Superbiam seuit, at illam Moyses humilitas coculcauit. Auro Naaman adulatam est,



DEFLET PECCATA SVA,
at illud spreuit Elifæus. Simon pecuniam obrulit, sed
meritam in illum Petrus sententiam pronuntiauit in
Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & imperiū
in secula seculorum. Amen.

Deflet peccata sua, & Dei misericordiam implorat.

EDESSE NORVM ex vrbe, quodam die dilu-
culo duobus cum fratribus egressus sum. Et sublatis
in cœlum oculis, stellarum splendorem ac pulchritu-
dinem, & cœlum ipsum sideribus ornatum, quod velu-
ti speculum nitidissimum super terram cum gloria
fulgebat, tacitus contemplabar. Mox cum admiratio-
ne, si hæc, inquam, tanto cum decore splendent, quan-
to magis homines iusti & sancti, qui Dei obtemperāt
voluntati, in illa hora, cum Dominus ad iudicandum
venerit, incredibili luce fulgebunt in gloria Saluatoris?
Repente vero cum mihi terribilis illius aduentus
in mētem venisset, animo & corpore totus exhorruī,
& contremuerunt omnia ossa mea, atque ita fractus
ac perturbatus magno cum dolore cordis, vim lacry-
marum estudi, & cum gemitu, quomodo, inquam, ego
peccator in illa hora formidanda consistam? Quomo-
do ad horribile incorrupti iudicis tribunal astabo?
Quomodo miser hædus cum ouibus ad Christi dex-
teram collocabor? Ego ne arbor infructuosa fisti po-
terō cum iustis illis, qui in hac vita iustitiæ fructus
tulerunt? Cum sese in aula cœli vicissim agnoscent
iusti, & ingenti cum gloria mutuo cōplectentur, quid
faciam infœlix? Quis me cognoscet? In cœli regia iu-
sti gaudebunt. Aeterno in igne impij cruciabuntur.
Cum sua martyres ostendent tormenta, virtutes suas
confessores, quid ego ostendam, nisi pigritiam & ne-
gligentiam meam? O anima superba. O peccatrix
anima. O anima stupida. O anima, quæ vitam tuam
odio semper es profecuta, quandiu humi te affligent

ET DEI MISERI. IMPLOR. 27
vanæ cupiditates? Quandiu malæ te oppriment co-
gitationes? Quandiu improba consuetudo domi-
nabitur tibi? Nonne intelligis prauis cogitationi-
bus fieri, vt ignorantix tenebris & cæca quadam cali-
gine circumfusa viam reperire non queas, qua te con-
uertas ad Dominum Deum tuum? An ea te spes for-
tasse sustentat, quod cœlestem sponsum haud ita cele-
riter credis esse venturum? Noli errare in otio noli
propterea marcescere. Appropinquat sponsum, iam-
iamq; aderit. Vt fulgur horribile, è cœlo subito im-
provisus adueniet. Quamobrem vigila, ne te in illa
hora formidanda imparatum offendant. alioquin in lu-
ctu versaberis sempiterno. Aliena peccata ne respi-
ce, sed tua luge. Cur in fratris oculo festucam cernis,
ac non potius trabem eicis è tuo? Cum ex oculo tuo
trabem exemeris, tunc ex fratris etiam oculo festu-
cam eripito. Quod si tibi mederi non potes, desce cæ-
citatē tuam. Quomodo potes aliis, cum cæca sis, lu-
men afferre? Prius egritudinem tuam cura, postea me
dicam alienis morbis manum adhibe. Negligentię
tuę nullam excusationem inuenies. Iudicium enim
tibi, & prudentiam, & spiritalem cognitionē, & alia
dona largitus est Deus. Ea, quę tibi profunt, ample-
ctere. Tum fratres illi duo, qui mecum erant, cum me
sicut affectum conspicerent. Lacrymantes & ipsi his ver-
bis interpellarūt: Cur tā acerbe luges, o pater? Qui-
bus ego respondens, propter desidiā meam, in quā, o
filii charissimi, lugeo. Cū enim benignissimus Deus
mihi cognitionis lumen accenderit, ego quotidie co-
nor illud extinguere. Nam si ea, quę Dominus vult,
opere implestem, beatus profecto forem in illa hora.
Neque ego solum, sed omnes qui re ipsa perficiunt,
quę Deo placent. Nunc autem omnes ferè, charissimi
fratres, sponte peccamus. Itaque nullam illic defensio-
nem sumus habituri. Dei prouidentiam & liberalita-
tem erga nos consideremus, & quę multa nobis quoti-



DEFLET PECCATA SVA,

die pro bonitate sua largiatur. Gratia illius corda nostra semper inuisit. Quod si locum inuenerit, ingreditur, & in anima nostra cōquiescit. At si cor immundum offendat, statim aufugit. Sed rursū misericordia cogit eam introire, & nos peccatores inuisere. Si quidem omnes sumus non vi, sed voluntate mutabiles. Spōte superbi fumus, & arrogantes, inuidi & improbi. Afsidue mala vicissim cogitamus. Prauis, & lasciuis, atque impudicis cogitationibus oblectamur, & in fœdo vitiorum luto iacemus. Ex quo fit, vt cū gratia nos inuisit, turpium cogitationum in cordibus nostris fœtorē inueniens, auerferur, & ilico discedat. Quandoquidem locum, vbi quiescat, non habet. Atamen luminis sui dulcedine cor nostrum stimulat, vt respiscat, sibiq; aduenienti aditum patefaciat. Neque enim gratia potest nos penitus derelinquere. Cogitur a propria ipsius benignitate, vt nostri misereatur. Vides prouidentiam Dei? Vides misericordię viscera? Quanto salutis nostrę desiderio teneat? Quantopere nos esse saluos atque integros cupiat? O beatū illum, qui puram cordis sedem diuinę gratię parare studet, vt in eo suauem virtutum odorem, atque animę sanctitatem inueniens seculis omnibus acquiescat. Quid nos Dei benignitati pro omnibus eius muneribus rependemus? Quam illi gratiam referemus, quod e cœlo descendit e sinu patris? Quod pro nobis in virginis vtero carnem assumpsit? Quod pro salute nostra tot pertulit cruciatus? Si mille annos in terra viueremus ne pro vno quidem colapho, nedum pro morte, qua pro nobis fœdissima fuit affectus, illi vnq; vllō modo posset a nobis satisfieri. Hoc ego, filii mei charissimi, pertimesco, planē enim noui negligentiam meam, ne omnes, qui me nunc beatum existimant, qui fictam religionem meam collaudāt, illic me derideant, cū in igni me excruciatum videbunt. Ignosce, ignosce clementissime fili vnigenite, mihi

ET DEI MISERI. IMPLO. 28

inutili seruo tuo, ne cū tremore & ignominia magna coram te iudice deprehendar, & ludibrio sim omnibus spectantibus & Angelis & hominibus. In hac vita, Seruator meus, vt humanissimus pater & filiorum amantissimus, erudi me, castiga me. Illic autem vt omnium Deus & solus sine peccato me suscipe. Ni si miserum peccatorem hic feceris respiscere, & poenitere, nisi lumine tuo cor illustraueris, vt flagitia & peccata sua lacrymis abluat, quomodo poterit ante tribunal tuum sine defensione consistere? Fuit iam, cū ego non essem. Pro infinita misericordia tua placuit tibi, Domine, formare me in vtero matris meę peccatrici. In lucem editus indignus ego, pro tua summa bonitate factus sum dignus, vt essem vas gratię tuę, & tanq; cithara, quę salutis verba cunctis audientibus concineret. Hęc ego ignauus & flagitiosus munera accepi, & gratię tuę me per inertiam ingratarum prebui, Tu, Domine, ex ore inutilis serui tui piū suauitatis cantum exprome. Tu mentis meę tenebras discute, vt gratię tuę lucem aspiciam. Ad te supplex confugio, o fili vnigenite, o vnica animarum salus. Fac, vt, quemadmodum hic gratia tua mihi fuit omnibus horis lux, custodia, perfugium, propugnaculū, consolatio: sic in horrendo illo iudicii die sub alas clementię tuę susceptum protegar, vt ad dexteram tuā collocatus, & in regnum tuam semper collaudē & celebrem, creator omnipotens, & seruator benignissime, qui serui tui inutilis lacrimas non despexisti.

De poenitentia & confessione.

DISCAMVS, o peccatores, quō misericordiā se fe habeat. Disce o auare, quo pacto misericordiā obtineas. Anteq; improbus veniat inimicus, qui aīas nostras corripiat, mutuā inter nos misericordiam, quę



DE POENITENTIA

bonis operibus, & omni humanitate, ac benevolentia plena sit, exerceamus. Operæ pretium est, vt quæ mihi a Spiritu sancto nuntiata sunt, omnibus significet. Si stultus ego sum, & eorum, quæ didici, nihil obseruauit, alius ea a nobis accipies obseruabit. Ne maneat igitur apud nos vitæ semen mortuum & infructuosum. Neque Regis talentum abscondamus. Si a recta via deflexero, noli me ducem sequi. Si labentem me videris, eandem in foueam ne incidas, caue. Deum & scripturas sacras contemplare. In his enim animæ cibum inuenies. Quæ tibi præcipiunt, re perface. Et a diuinis mandatis ne recede. Ego discere cupio, docendi munere haud libenter fungor. Iniquitatibus scateo. Meipsum exploro. Obligo vulnera mea. Zizania, quæ sunt in me, conor euellere. Bona spe vt eunque sustentor. Ne te debilitet discendi labor. Ego quoque magister tuus affligor. Cur, o fili inani dolore cruciaris? Cur frustra conuerteris? Improbis ille semper exiit mentem tuam, vt hæreditatis partem eripiat. Satanas enim per dolum multos tristitia conatur afficere, vt eos per desperationem in gehennam detrudat. Thesauro spoliatus es tuo? Via tamen adhuc patet præclaræ mercaturæ: nec deest temporis spatiû, quo thesaurum tuum recuperes. Vide tu modo desperationi ne succumbas, & illum diligenter collige. Vulneratus es? animo ne concidas. Ad mortem usque fortiter pugna: vulnus ipsum me reformida. In eo curatio ostende virtutem tuam, vt præclara gloriæ corona textatur tibi. Si te latro spoliauerit, ne deseras cursum institutum. In prælio contingit, vt & feriamus & vulneremur. Si pruina læserit agrum tuum, tu tamen illum sedulus cole, & diligenter sere. Iam nubes adueniunt, & pluuiam è caelo demittunt. Iter tuum fur tibi non intercludet, ne verearis. Onus sustulisti? Per viam regiam incede. Ex prælio, in quo vulnus accepisti, studium victoriam reportare. In loco vbi thesauro ante spo-

ET CONFESIONE. 29

liatus es, potes eundem recuperare. Vbi fudit Acab 3. Reg. sanguinem Naboth, ibi linxerunt canes sanguinem 21. impiæ Iezabel. Acab, vt scriptum est, eiecit Naboth è 4. Re. 9. propria vinea. Et te peccatum vult è Christi mandatis dimouere. Acab Satanae typum gerit: & Iezabel figuram iniquitatis. Vterque sitit sanguinem tuum: sicut iniquus Acab sanguinem Naboth expetebat. Quemadmodum dolo iustum hominem interfecit, sic iusto Dei iudicio perit. Virum probum perdere festinauit, vt vltor illius statim cerneretur Deus. Pugna nostra nunc oculis non perspicitur. Neque enim, Ephe. 6. vt inquit Apostolus, est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harû. Clam Satanas homines oppugnat. At Christus aperte dissipat eius insidias, nosq; docet, quomodo illi resistamus. Certamen tuum, o frater, non est leue nec risu dignum. Omnis Angelos, & Angelorum Dominum in lucta, quæ tibi cum Diabolo est, habes spectatores. Vincente te, & aduersarium prosterne plaudunt Angeli, & Deum plaudentes collaudant, qui tibi tribuerit improbum hostem vincendi facultatem. Bellû augetur, vt & ipse proberis, & magis laudetur Deus, & homines exemplum habeant, quod imitentur. Quamobrem, vt ante diximus, si vulnus aliquod ab improbo accipis inimico, ne despondeas animum, neve desperes. Si vinceris, ne iaceas vt victus, sed protinus surgens in aduersariû tende. Præsto enim adest adiutor Deus, vt manum porrigat, & subleuet laborantem. Simulac enim manum tuam extenderis, offeret dexteram suam, vt exciteris. Omne studium & curam adhibet scelestus aduersarius, vt te cum cecideris, ad desperationem impellat. Tu illi, frater charissimi me, nevtiq; crede, sed si septies in die cecideris, septies consurge, tibi que Deum per poenitentiam propitium redde, Quis nummum explorans ignoto crumenam



SE IPSVM REPREHENDIT,

tradit? Quis mercator relictis nundinis in mare collectas reliquias abiicit? Caue, ne abiectis armis, quæ tibi Christus dedit, hosti cum ignominia principis tui terga vertas. Exemplum tibi perspicuum propono. Vani huiusce mundi pugiles, licet ab aduersariis grauisime verberentur, non concidunt animis, nec fugam arripientes, certamen deserunt. Sæpe enim fit, vt qui vinci videbatur, tandem è certamine victor discedat. Diem ex die ne differas, frater charissime, sed quæ celerrimè ad Dominum te conuerte, antequam seuerissimi Iudicis sententia pronuntietur, quæ te vocet ad reddendam rationem talentorum, quæ tibi ille dedit, ne laudis loco damneris, & vincitibus manibus, ac pedibus in tenebras exteriores extrudaris. Dum tempus patitur, ad iudicis pedes supplex accede, vt placatus ignoscat, & debita remittat tibi. Nos autem tecum pariter Deum collaudantes gaudeamus.

Seipsum reprehendit, & peccata sua confitetur.

QVI multis in rebus, fratres charissimi, vobis prodesse videor, animæ quoque meæ prodesse debeo. Absurdum enim sit, eum fame cōfici, qui cibum aliis distribuit. Et turpe si ego, qui potum aliis suggero, siti ipse peream. Id autem fiet, nisi meam ipsius conscientiam coarguero. Quod si fecero, vtile mihi in iudicio venturo futurum spero. Cum enim in populo versarer, inimicus expugnauit me in iuuentute, quæ mihi propè persuaserat, ea, quæ sunt in hac vita, temere casurum fieri. Quamobrem accidit mihi, quod nauis contingit gubernaculis spoliata, rectore in proa consistente. Vt enim illa vel retrocedit, vel consistit, vel etiam euertitur, nisi aliquid illi aut per angelum, aut per hominem adsit auxilium. Sic ego in tempestatis errore versabar, nec periculum agnoscebam, cum diuina benignitas me in interiori Mesopotamiæ re-

ET PECCA. SVA CONFI. 30

gione peragrantem fecit in pastorem quendam incidere, qui cum ex me quæsiuisset quoniam mihi iter esset, & ego respōdissem, quo me pedes ferrēt, si me, inquit ille, audieris, adolefens, cum ad vesperum inclinet iam dies, longius nō discedes. His ego verbis commotus apud eum mansi. Media vero nocte cum pastor profundo somno propter ebrietatem teneretur, lupi gregem adorti oues dissiparunt. Domini autem aduenientes me quoque tanquam reum in iudicium adduxerunt. Ego vero, rem vti contigerat, narrans apud iudicem me defendebam. Interim adductus est quidam in adulterio, vt dicebant deprehensus, sed mulier aufererat. Iudex autem re dilata vtrique nostrum eundem in carcerem coniici iussit, vbi quendam agricolam homicidii causā inclusum inuenimus. Quamquam neque ille, qui mecum ducebatur adulter, neque agricola ipse erat homicida, neque ego gregis abactor fueram, eadæm autem propter agricolam, & pastorem propter me, & maritum propter adulterum in alia custodia seruabantur. Illic igitur septem diebus transactis, octauo die secundum quietem vidi quendam me sic alloquentem: Pius esto, & Dei prouidentiam intelliges. Considera, quæ cogitaueris, & feceris, & cognosces, vobis iniuste nihil accidisse. Neque vero ipsi scelerum auctores effugient. Somno solutus, quæ videram, memoria repetebam. Et peccata mea cogitans memini me cum eodem in agro, vbi captus fueram, apud pauperem quendam diuertissem, improbitate quadam incitatum è cubili suo pardum exegisse, qui a feris dilaniatus est. Cum igitur somnium meum, & causam fociis explicassem, ipsi ad me conuersi ita locuti sunt. Agricola autem prior incipiens, ego, inquit, cum viderem quendam in flumine suffocari, postemque auxilium ferre, neglexi. At alter & ego, inquit, cum mulier quædam vidua falso in adulterii crimen vocaretur, illam oppugnaui. Qua de causâ fratres eius adem-



SE IPSVM REPREHENDIT,
pram illi paternam hæreditatem lucrati, mihi, præ-
mium, quod inter nos conuenerat, tribuerunt. His
ego dictis cœpi respiscere, atque intelligere nos meri-
to plecti. Quod si solus fuissẽm, putassẽm fortasse, id
temere & casu contigissẽ. Sed eramus tres pariter in
fraude deprehensi. Accedebat & quartus vindex ille,
qui nec genere cum illis, qui iniuria fuerant affecti,
coniunctus erat, neque conficius aut testis extiterat.
Etenim nec mihi, nec sociis, quibus speciem & for-
mam eius descripsẽram, notus erat. Somno igitur rur-
sum captus, eundẽm vidi sic dicentẽm. Cras videbitis
& illos quos læsistis, & calumnię culpęque vestrę re-
munerationẽ. Experrectus stabam cogitabundus.
Tum socii ad me, quid inquirunt, tristis es? Quibus
ego causam cum exposuissẽm, exitum metuebam. Et
cogitationes illas de fortuna & casu tradideram obli-
uioni. Atque illi mecum magna sollicitudine ange-
bantur. Cum igitur nox illa transisset, adducimur,
quo quidem tempore, quinque vincẽti ad principẽm
pertracti sunt. Itaque illi, qui mecum erant, multis
affecti verberibus in carcerẽm reuersi sunt, meq; illic
reliquerunt. Tum adducti sunt duo in primis. Hi au-
tem erant fratres illius viduę, quę calumnia ab ipsis
paterna hæreditate fuerat spoliata. Vnus eorũ in ho-
micidio, alter in adulterio deprehensus erat. Sed cum
hęc crimina confessi essent tormentis cogeabantur &
alia scelera confiteri. Homicida igitur confessus est,
se cum in ciuitate negotiaretur, cum muliere quadã
consuetudinem habuissẽ. Hęc autẽ erat illa, propter
quam vnus ex iis, qui mecum erant in carcere custo-
diebatur. Rogatus quomodo effugisset, accidit, in-
quit, vt cum obseruaremur, vicinus quidam alia via
accedens nescio quid mutuo peteret, quod illa cum
dedisset, me iam per fenestram demisso, orauit eum,
vt se quoque per eandẽm fenestram demitteret, quo-
niam fœneratores ad se capiendam aduentarent. Id

ET PECCA. SVA CONFI. 31
ille, cũ faceret, a mulieris marito captus est. Nos au-
tem elapsi sumus. Vbi nam, iudex inquit, est mulier?
Et cum indicasset locum, iussus est, vsque ad mulie-
ris aduentum custodiri. Frater vero damnatus adulte-
rii, se hominẽ etiam occidissẽ confessus est, eum ni-
mirum, quem agricola, qui mecum erat, accusabatur
interfocissẽ. Dicebat autẽmaritum illius esse fœmi-
næ, quam adulterio corruperat. Cum enim, inquit, di-
luculo prædium suum inuiseret, fictæ salutationis gra-
tia accedens illum statim interfeci, & aufugi. Familia
res autẽm exaudito clamore, cum essent egressi, homi-
nẽm quandãm agrestem, qui magno labore fessus il-
lic dormiebat, comprehenderunt. Hęc ille cum dixisset,
locumque & nomen mulieris indicasset, in carce-
rẽm perductus est. At reliqui tres confiterunt, quorũ
vnus in crimẽm vocabatur, quod segetem combustis-
set, alii duo quod se in cęde faciendã socios exhibuis-
sent, sed cum paucis verberibus affecti, nihil confite-
rentur, in carcerẽm adducti sunt. Audiuerat enim iu-
dex successorem suum aduentare. Et ego, nulla de me
habita quæstione, cum illis discessi. In eadem igitur
omnes custodia tenebamur. Iudex, autẽm, qui succe-
debat, ẽ patria nostra erat, sed ego diu quis & vnde es-
set, ignorauĩ. Interim, cum magnũ nobis daretur spa-
tium quiescendi, amicitiam iniuimus. Cumq; prio-
res mei iam essent studiosi, & reliquis ea, quę conti-
gerant, enarrassent, in me omnes tanq̃ in hominẽm
piũ intẽdebant. Et fratres illius viduę, hominẽ, qui
aduersus eam testimonium dixerat, perspecto, obstu-
puerunt. Rogabãt autẽm me, vt sibi aliquid boni nun-
tiarem. Verũm ego multis ibi diebus commoratus,
eum, qui mihi in somnis apparuerat, nunq̃ vidi. In fi-
ne autẽm dierum rursus illum aspexi, me verbis eius-
modi compellentem: cernis hos tres aliorum scelerũ
rei nunc pœnas pendent. Quod illis cum retulissẽm,
confessi sunt duo quidem se furis conscios extitissẽ.



SE IPSVM REPREHENDIT,
Cum enim vicinum, inquit, vt vineam eius inter-
uerteret, necauisset, certificati sumus, eū de rupe præ-
cipitem cecidisse, & vineā ipsius esse. Tertius autem
se ira commotum è recto quendam deturbasse, qui ca-
si illo interierit. Postea vidi rursus in somnis hæc mi-
hi prænantiam. Tu cras liberaberis, reliqui iustū
iudiciū subibūt. Fac igitur, vt fidelis sis, & Dei prou-
identia prædices. Postridie iudex sedēs in tribunali, de
nobis omnibus quæstionem habuit. Et cognitis, quæ
acta iam erant, cum & fœminis, quæ aderant, interro-
gatis, & æquis testibus adhibitis, veritatem cognouis-
set, innocentes absoluit, agricolam dico, & eum, qui
falso adulterii fuerat accusatus, fœminas vero iussit
torqueri, vt exquireret, an aliis se se flagitiis contami-
nassent. Comperit igitur vnam earū, odio illius, qui
adulterum suum detulerat, incitatā bona ipsius com-
bussisse. Quo quidem ex incendio cum quidam propius
fugeret, tanq̃ auctor cōprehensus est. Et hic erat
nobiscum, quem iudex, quæstione habita, innoxium
cum reperisset, dimisit. At altera adultera, cum in eo-
dem esset vico, vbi capti fuerant illi duo, qui in cæde
facienda socii fuisse dicebantur, rem, vti gesta erat,
confessa est. Qui occisus est, inquit, cum domi meæ
ab altero illius viduæ fratre, qui meus amator erat,
mecum rem habere deprehensus esset, interemptus
ab illo est, & in biuium proiectus. Cōcursu autem fa-
cto cum duo viri quædam, a quo sibi hædus surreptus
fuerat, persequerentur, eos alii conspicati, putantesq̃
ideo fugere, quod homicidium perpetrassent, com-
prehenderunt. Iudex igitur cum nomen, & genus, &
qui nā, & quales essent, explorasset, innoxios libera-
uit. Hi fuerunt quinque, agricola, & qui falso adulte-
rii insimulabatur, & tres vltimi. Porro duos fratres, &
flagitiosas illas mulierculas a feris iussit dilaniari.
Tunc ego in medium adductus imperio iudicis, qui
& si mihi beneuolentia coniunctus erat, tamen scire

ET PECCA. SVA CONFI. 32
voluit, quomodo res illa ouium gesta esset, cumq̃; ego
id, quod erat, exposuissem, meq̃; ille & voce & nomi-
ne cognouisset, familiaritas enim illi cum parentibus
meis intercesserat, quæstione habita de pastore, & ve-
ritate cōperta, liberauit me post dies circiter septua-
ginta. Ea vero, quæ secuta est, nocte vidi virum dicen-
tem mihi: Reuertere in locum tuum, & age pœnitentiam,
& scito, vnum esse oculum omnia perlustrantē,
mihiq̃; grauius comminatus recessit, neque ego eū
ad hunc vsque diem amplius cōspexi. Anxius igitur,
& multis lacrymis plenus discessi, vtrum Deo satisfac-
ferim ignarus, quamobrem omnium precibus adiu-
uari me flagito. Vulnus enim erat grauisimum. Vi-
sis ego non efferor, sed ob impias illas angor cogita-
tiones. Vidit & Pharaon Angelum futura prænantian-
tem, sed verba eius & prophetiam non mutauit. Di-
Luc. 13.
cit & Christus illis, qui in nomine suo prophetauerunt:
Non noui vos, operarii iniquitatis. Me vera vidisse scio,
& expertus sum, sed excruciat me mea in Deum contumelia.
Qui enim asserit omnia temere casuq̃; fieri, is diuinitatem tollit. Id cogitavi, non ne-
go. Resipui, sed ignoro, vtrum mihi Deū placuerim.
De ipso aperte locutus sum, sed nescio vtrum verba
illi mea fuerint grata. De prouidentia scripsi, sed igno-
ro, an illi placuerint scripta mea. Domum vidi, & pa-
trem familias cogitavi. Mūdum aspexi, & noui prou-
identiam Dei. Vidi nauem sine gubernatore mergi, &
animaduerti sine Dei gubernatione inanes esse homi-
num labores. Vidi varias respublicas bene cōstitutas
& intellecti Dei ordine atque præscripto cuncta con-
sistere. Per pastorem grex viget, & per Deum omnia
coalescunt. Inter triticum & spinas discernit agrico-
la. Et Deus omnibus in terra degentibus prudentiā
a dhibet & intelligentiam. Ab imperatore pēdet exer-
citus ordo, & a Deo vera rerum omnium dispositio.
Nihil in terra sine capite & origine. Quia rerum om-



SEIPSVM REPREHENDIT,

nium principium est Deus. Flumina è fontibus manant, & leges a diuina sapientia. Fructus fert terra, si tamen e celo fuerit irrigata. Adeo nihil per se fieri potest. Dies suggerit lucis copiam, sed tamen indiget radiis solis. Sic & ab hominibus bona proueniunt, sed Dei gratia perficiuntur. Sol lumen continet, sed celo indiget, in quo requiescat. Pariter & homines sancti indigent Deo, in quo consistant. Neque splendor sine igne, neque sine tenebris nox. Mutuo enim omnia indigent auxilio. Atque ita suum indicant moderato rem. Hoc eget illius ope, illud alterius. Nihil sponte sua est in rerum natura. Nemo enim seipsum potest facere. Nam si quis seipsum faceret, is esset anteq̄ fieret. Quomodo igitur postea factus esset? Quod enim est, anteq̄ fiat, non eget, vt fiat id, quod est, neque alie num requirit auxilium ad eius, quod est, constitutio nem. Solus igitur Deus non factus. Sponte enim & a seipso fieri secum pugnat. Neque ignorat Deus se nõ esse factum. Neque enim, vt nos, infantia principium habuit. Non est ignarus essentia suæ. Neque enim eã illi quisq̄ tribuit. Nouit id, quod est, & superat omnẽ hominum cogitationem. Non inuidet, sed parcat nobis. Neque enim audire possumus principiu rei, quæ non est facta, quoniam ne dici quidẽ potest. Rei principio carentis principium intelligere non valemus. Neque enim tantam habemus intelligendi facultatẽ.

Exo. 20. Terrena Deus e mote Sina locutus est, & populi contremuit multitudo. Quid igitur, si cœlestia loquatur faciemus? E terra locutus est, & homines innubiles exhorruerunt. Quid faciemus, si e celo nos alloquatur? Orauit populus, ne Dei vocem audiret, & Deus id illi concessit, quod petebat. Deũ orauit Moses, vt cum populo permaneret, & perierunt multi, quia nõ poterant ad naturam diuinam appropinquare. Ostendit igitur Deus fieri propter iustitiam suã, vt peccantes immedicabile plagam acciperet. Itaque pepercit

ET PECCA. SVA CONFI. 33

pepercit nobis, subduxitq̄ se, vt viueremus. Sic etiam arcana tegit, quæ capere non valemus. Accessit ad Aaron, & cum filios eius reos inuenisset, occidit eos. Accessit ad populũ, & multos peccatores occidit. Quamobrem si diuina nobis dixerit, & non crediderimus, nos omnes interficiet. Idcirco nobis ea non dicit, quia prauider, nos non esse credituros. Recte igitur facit consulens nobis, ne moriamur. Non tribuit nobis tantam intelligentiã, vt libera extinguat propositum voluntatis. Maiores non exhibet vires, ne naturam confundat. Benignitatem non exhaurit, ne ab improbitate superetur. Non facit homines Angelos, ne potestates peruertat. Nõ facit Angelos cherubin, ne ministeria perturbet. Tantum cuique largitus est, quantum natura quælibet creata capiebat. Naturas constituit, & reperit eas misericordia, vt pote mutabiles, indigere. Eis seipsum sic impertiuuit, vt subsisterent, quod amplius erat, condidit, habita imbecillitatis earum ratione. Congruentem item dedit intelligendi facultatẽ, ne superbia causam præberet. Quẽadmodum qui pueros ad malum exercent, ipsi magis sunt reprehendendi. Dedit, quod capere poterant, & ignouit, quod non poterant. A nemine enim, quod vires eius superet, exigit. Nolite igitur, o mortales, potentiam ipsius inculcare, quod naturam vestram sequiuerit facere capaciorem. Non opifex in causa, sed ipsa natura. Aurifex habet artẽ, quæ dirigit opus suũ, etq̄ tantum tribuit, quantum capit, & non amplius, quamuis multũ illi auri superfit. Sic & Deus, quãuis omnia possit, non tamen plus tribuit, q̄ rei cuiusque natura patiat. At materiam ipse fecit. Ideo ipsum laudate, qui tantam varietatem constituit. Nemo aurifex, vt auri materiam adaugeat, seipsum auro adiungit. Nec Deus, cum omnia miracula excogitasset, fecit vt materia naturæ suæ similis esset. Magnas rebus procreandis diuitias effudit. At quod factum esset in-



Pſalm.
142.
Gen. 1.

SEIPSVM REPREHENDIT,
fectum, ne cogitauit, nec inuenit, nec fecit. Vultis videre facilitatem eius immensam? Caelos, & quæ in cœlis sunt, verbo procreauit. Ex quo patet, cum multo plus posse, sed natura ipsa procreata plus non capit. Quanto verbis præstantiora sunt opera. Tanto sine comparatione rebus creatis Deus antecellit. Fecit igitur omnia ad cuiusque vtilitatem. Nulla coactus necessitate tot differentias inuenit, quoniam de primis experimentum dedit in secundis. Non tantæ pulchritudinis causâ necessitas extitit, alioquin opus alterius esset, non autem Dei. Necessitas enim liberam excludit voluntatem. Omnia, quæ voluit, fecit in cœlis & in terra, sicut diuina scriptura testatur. Rerum ordo Dei laudem celebrat. Malum nõ est boni causa, neque ad pietatem adducit. Si malû prius extitisset, bonum fieri nõ permisisset, alioquin non fuisset malum, sed bonum. Si materia cõstitisset aduersus Deû, cum esset inanimata, cum illo pugnare non potuisset. Sin dixeris materiæ animam esse confusionis actione, absurdum est, existimare, animam esse actionis motum, Nihil enim eorum, quod quisq̃ nostrum facit, anima est. Materiæ actio, inquit, ex quodam collaudante consistit. Magna stultitia sit, æternum aliquid inesse existimare in materia, quæ in continua alteratione mutationeq; versatur. Quicquid enim mutatur, caducum est. Quomodo ergo quod est mutabile, sit æternum? Nihil igitur semper fuit, nisi solus Deus, quo egent omnia. Ipse enim sponte sua fecit illa, non autem vlla adductus necessitate. Et singula fecit, quemadmodum voluit. Et voluntas eius nulli subiecta est necessitati. Ideo q; ea, quæ fecit, non sunt illi coæterna. Si enim voluntas eius necessitati coniuncta esset, coæterna illi forent ea, quæ procreauit. Et procreatio voluntati congrueret. Verum procreatio nõ erat necessaria, nam coæterna illi fuissent, quæ sunt procreata. Et sic esset affectionum expers, vt vo-

ET PECCA. SVA CONFI. 34
luntas eius, atque adoratio. Iccirco non ex necessitate sibi constituit adorationem, alioqui, vt adoraretur, ea, quæ fecit, fecisset sibi coæterna. Neque enim quicq; ex eo patitur, quod a gentilibus non adoratur, neque pro adorationum varietate commouetur, neque ad indignationem impellitur, quod imperfectè a Iudæis adoratur. Neque propter hæreses perturbatur, quod sibi ex parte tantum exhibent adorationem. In omnibus enim sine perturbatione idẽ ipse manet, qui erat anteq̃ omnia procrearet, ad hunc vsque diem, & deinceps in sempiternum. Rerum est omnium causa bonitas eius. Et naturæ terminus iustitia ipsius. Sapientia vero rerum ordine & varietate declaratur. Dedit igitur nobis, o mortales, vt dixi, quod capere possumus, habita virium nostrarum ratione. Ceterum, & si nihil eorum, quæ fecit, ipsum capit, genuit tamen sine principio ex substantia sua filium suum, non ex necessitate, aut causâ aliqua, quemadmodum diximus, cum de verbo loqueremur, vt bonitatis eius acciperet plenitudinem, quoniam naturaliter ipsum ex substantia genuit. Omnis autem eius natura a necessitate & causa seiuncta est. præsertim quia voluntati naturam miscuit, & vtraque cum bonitate coniunxit. Bonitas enim plenitudinem ostendit, quia genuit, a quo naturaliter caperetur. Natura autem dignitatem, quia nõ indignus, qui capit, vt potè filius, non factus. Porro voluntas necessitatem excludit quia nõ propter aliquid genitus est, sed vt semper perfectum esset mysterium æternitatis. Et vt non dicamus voluntate necessitati subiecta naturaliter Dei filium esse genitû. Iam Spiritus sanctus non genitus, sed processit ex substantia patris, nõ imperfectus, neque promiscuus. Neque enim alias pater est, alias filius, sed Spiritus sanctus plenitudinem habens bonitatis, & in diuinitatis testimoniû procedens, quoniam pater nõ vlla perturbatione, aut tempore, aut necessitate, aut mutatione, aliaue causa



SE IPSVM REPREHENDIT,

filium genuit, sed natura ab omni remota necessitate, aliumq; consortem volens non genuit, sed produxit spiritum sanctum, non ante filium, ne dicamus necessitati voluntatem eius esse subiecta. Neque timuit hominum dubitationem, quod quodammodo imparibilis existens genuit, habens demonstrationem spiritus sanctum, quia non generans secundum se ipsum produxit, sic & generans filium secundum se ipsum genuit sine perturbatione. Neque enim imminutus est procedente spiritu sancto, ut filii generationem perturbationi cuiuspiam obnoxiam possimus suspicari. Quod autem post filium dicimus spiritum sanctum. Id non tempus, sed personam significat. Spiritus enim & verbi eadem est aternitas. Nam & nos in verbo pronuntiando spiritum nostrum mouemus, & cum verbo spiritum producimus. Pater igitur nec tempore indiguit in verbi generatione, nec vlllo temporis spatio post verbum produxit spiritum sanctum. Quamobrem & sancta Trinitati diuinitas est coaeterna. Pater, & filius, & spiritus sanctus tres quidem personae sunt, sed vna substantia, atque vna diuinitas. Quapropter & Deus vnus est sancta consubstantialisq; trinitas. Et quod sit verbum in spiritu, dicit de nobis Dauid, quia spiritus est in ore nostro, non quod similis sit compositio in ipsa diuinitate, sed vt exemplo, quae dicta sunt, intelligantur. Quantum igitur capimus, intelligimus de Deo. & quantum ferre possumus, tantum ab eo accipimus. Quod si plus audierimus, non credemus. Et si plura acceperimus, extollemur. Merito igitur plura non dicit, neque dat. Tercio autem haec recensui, vt etiam in ipsa cognitionis distributione diuinam eius providentiam declararem. Dicit enim & ipse Christus: Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si vobis caelestia dixerero, credetis? Ego vero sermonem ita conuerto: Si caelestia capere non possumus, quomodo quae ad diuinam naturam pertinent,

Io. 3.

ET PECCA. SVA CONFI. 35

audientes, percipiemus. Si Iudaei temporaria mandata non obseruantes perierunt, quanto magis nos peribimus, si quae de Deo audiimus, non custodiamus? Quanto autem corporis morte mors animae formidabilior? Quanto, inquit Apostolus, putatis deteriora mereri supplicia, qui conculcauerit filium Dei? Hac omnia, quae dicta sunt, fratres, scripsi propter me. Vereor, ne deteriore illa morte afficiar. De cognitione enim disserui, vt me in Dei cognitione peccasse demonstrarem. Potentes, inquit ille in libro sapientiae, Sap. 6. potenter tormenta patientur. Cognitione est virtus ad donum diuinae gratiae. Et ego post Christi cognitionem in cogitationibus de fortuna & casu versatus sum. Ti meo igitur, ne mea, sicut Esau poenitentia repudietur. Scio Esau in malitia permansisse, & ideo fuisse reiectum. Sed vereor, ne mea poenitentia peccato similis iudicetur. Audiistis infinitam esse diuinae potentiae magnitudinem? Illuc vsque dicendo prouectus sum, vt quibus ego miseris detinear, cognoscatis. Audiistis diuinae pelagus sapientiae? Cur igitur pro me apud Deum fontes non effunditis lacrymarum? Audiistis immensam diuinae iustitiae vim? Cur ergo viscera vestra pro me non ostenditis? Scio Deum multis, qui poenitentiam egerunt, ignouisse, sed maior eorum pars peccauerat per ignorantiam. Eum multis veniam dedisse non ignoro, sed multos habebat adiutores. Quae de Chore & Dathan scripta sunt, lego, & per horresco, quonia illis Deus propter Mosem iratus est. Quae Mariae Moysi sorori contigerint, considero, propter verbum enim, quod aduersus illum dixerat, eam lepra totam operuit. Si tanta propter virum sanctum exarsit indignatio, quid fiet propter Deum immortalem? Si Cam ob fraternam caedem tam diuturno supplicio afficitur, quid illis fiet, qui Deum offendunt. Concurrite, fratres, & mihi veniam impetrate. Vt vobis quoque Sancti, si quid peccatis, opitulentur. Qui

Heb. 10

Sap. 6.

Heb. 12

Quae Nu. 16.

Quae Nu. 12.

Gen. 4.



SEIPSVM REPREHENDIT,

enim casu fortunaq; putat cuncta contingere, is essentiam negat diuinitatis. In ea ego sententia fui, Non mentior. Respui & egi pœnitentiam, sed nescio, vtrū mihi Deus placatus sit. Precor & Sanctos, vt intercedant pro me, sed ignoro, an eorum preces suscipiatur. **Ca. 14.** Lego enim apud Ezechielem, neque Noë, neque Iob, neque Daniele, si orauerint, exoratos. Obsecro prophetas omnes, sed metuo, ne reiiciar, quemadmodum impius Israel. Sic enim loquitur Deus ad Hieremiam: Noli orare pro populo isto. Quid igitur? Donis placabo Dominum? At vereor, ne mihi idē, quod **Esa. 58.** pharisæis dicat, me vtilitatis meæ causa id efficere. Si **Pl. 140.** ieiuno, hoc non est, inquit fortasse, ieiunium, quod elegi. Si pauperum miserebor, oleum, forsitan dicet, peccatoris non impinguet caput meum. Si sacerdotes eius amplectar, forte dicet mihi: Quia Nazareis meis vinum præbuiisti, derestabilis eris. At offeram illi mu- nera. Timeo, ne mihi dicat: Si obtuleris Similaginē, sacrificium tuum inuisum est mihi. Quid? quod & in Ecclesiis sedere vereor, ne me item eiiciat, aulam, in- quiens, meam calcare ne audeas. Vndique igitur pre- mor, fratres, & ad cōscientiam meam redeo. Si impiè rursum egero, vā mihi. Si arrogans fuero, vereor, ne me caligine opprimat. Et Nabuchodonosor, cūm pœ- nitētiam egisset, susceptus est. Sed eum defendit tum ignorantia, tum principatus. Hac ego careo defensio- ne. Eram iam gratiæ particeps, erām in Christi disci- plina a patribus institutus. Illi, a quibus secundum carnem genitus fueram, timorem Domini mihi tra- diderant. Vicinos videram pietatis studiosos. Multos audiuerā pro Christo cruciatus, mortēq; perpeffos. Parentes mei in iudicio Christum professi fuerant. Martyribus sanguine cōiunctus sum. Nullam habeo excusationem. Si cōmune carnis genus dixero, nihil ab illis differam, quos beatus Iob cōmemorauit. Ma- iores mei peregrini, opera & manu victum quærita-

AC PECCA. SVA CONFI. 36

runt, aui fuerunt agricolæ, parentes non admodum abiecti ciues. Quo igitur nomine me Nabuchodonō for similem existimabo? Quæ in pueritia gesserim piget commemorare, ne vilem me vobis abiectumq; constituam. Cūm adhuc essem iuuenis, me christia- num professus sum. Attamen paucis illis annis contu meliosus, percussor, seditiosusq; fui, & cum vicinis li- tigiosus, atque inuidus, in hospites inhumanus, in amicos durus, acerbus in pauperes, immodestus, ma- lis vacans cogitationibus, ac voluptatibus vel præter tempus Quæ tamen omnia scio mihi fuisse condona- ta. Sed quid postea gessi? quid post veritatis cogniti- nem commisi? Auxilio vestro, amici, vehementer in- digeo. Succurrite mihi. Me vel tanq̄ mortuum desce- te, vel tanq̄ spirantem adhuc, sed semimortuum com- miseramini. Super me veluti super captiuum effundi- te misericordiam vestram. Mihi tanq̄ putridis vulne- ribus scatenti subuenite. Plenus enim plagarum ego sum. Indæos ego supero. Illis non erat locus ad vincu- la. Mihi vero & anima ipsa corrupta est. Illi a capite vsque ad pedes miseris premebantur. Mihi viscera quoque computruerunt. Vltro aduersus Deum ego contumeliam cogitavi, solum Diabolum, qui mētem meam excæcauit, socium habeo. Timeo, fratres mei, ne sicut illi, sic etiam mihi adsit impœnitentia. Vnam hanc habeo excusationem, quod ille mihi suggererit tentationem. Verūm hæc excusatio Adæ nihil po- fuit, nihil profuit Euz, nihil Esau. Vt intelligamus, eos Diabolum habere similes, quos Paulus vasa iræ **Rom. 9.** appellat, qui sunt ex parte eius. Vereor, ne me quoq; vnum ex illis Deus esse permittat. Eos propter contēptum tradidit in pāsiones ignominie. Itaque me- tuo, ne in me quoque eandem ferat sententiam. Sed & nunc item multum in sordidis verfor cogitationi- bus, in inuidia, in malevolentia, in iracundia, in arro- gātia, in gula, in malitia, in odio paupertatis, in egen-



SEIPSVM REPREHENDIT,

tium perfectione. Cum ipse nihil sim, me tamen aliquid esse arbitror. Cum tot vitiis laborem, tamen a cupor nomen sanctitatis. Cum tot sim peccatis obnoxius, tamen volo me iustum existimari. Mentior, & mendaces redarguo. Animo fordidus, libidinosus infector. Pauperes lædo, & fui es reprehendo. Contumeliosos damno, cum eidem affinis sim vitio. Splendide incedo, cum totus sim impurissimus. Primum in Ecclesia locum teneo, cum ne postremo quidem sim dignus. Honorem appeto, cum ignominiam merear. Sallutationes capto, cum ab omnibus sim conspuendus. Homines video seculares, & glorior. Monachos aspicio, & efferor insolentia, Mulieribus videri cupio gratus, diuitibus pius, hospitibus grauis, domesticis cogitabundus & prudens, propinquis honoratus, & prudentibus perfectus. Inter homines pios verior vt sapientior. Simpliciores vt pecudes contemo. Siquis me afficit contumelia, vlciscor. Siquis me arguit, illi succenseo. Siquis quid repetit, in iudicio me defendo. Vera dicentibus vt inimicis indignor. Admonetibus irascor. Non adulates odio prosequor. Fratrem calamitatibus oppressum non agnosco. Ad felicem accuro. Aegrotantes auerfor. Si æger ipse sum, ab omnibus inuisi volo. Maiores despicio. Absentibus detraho, presentibus adulo. Honorare, qui honori sunt digni, recuso, & indignus ipse honores exigo. Prætereo animi mei cogitationes, de lege, de prophetis, de euangelio, de Apostolis, de Ecclesiæ doctoribus, de concionatoribus, de sacerdotibus, de lectoribus, de dispensatoribus, de Episcopis. Omitto quas quotidie nouas curas inuenio, vanitatis meæ sollicitudines, desidiam in orationibus, constantiam in vaniloquiis. Si quis de nugis loquitur, oblector. Sin de temperantia, mœreo. Diuinam legentes scripturam fugio, de questionibus concertantes libenter audio. Omitto fictas assentationes, artificiosos in ecclesias gressus, ex industria con-

ET PECCA. SVA CONFIT. 37

quisitas in incessu tarditates, futiles in congressibus sermones, nimiam in paradisi epulis diligentiam, mala in locis sacris colloquia, inertiam in precando, in psallendo negligentiam, studium in decipiendo, artē in lucrando, simulatas cum piis mulierculis familiaritates, frequentes compellationes, inopum contemptum, diuitum obseruantiam, inexplebilem accipientorum munerum cupiditatem, cum alienis peccatis coniunctionem, inutilia cōsilia, spe maioris lucri adulationes, contentiones, supplicationes, stultas commorationes, rixas perniciosas, inutiles pugnas, ineptas cōsuetudines. Hæc est vita mea, fratres, hæc sunt infirmitates meæ. Si aduersus tantam peccatorum multitudinem mihi potestis opitulari, mei, quæso, misere mini. Si vobis adsunt vires, quibus tantam malarum cogitationum phalangem possitis profligare, obsecro vos, ne me deseratis. At nõ erat, dicit aliquis, tam anxie de cogitationibus differendum. Quorsum de fortuna & casu sermonem instituenti tam longa de rebus istis oratio? Ex diuina scriptura, fratres, habeo demonstrationes sacrificabat Iob pro filiis suis, nõ e forte, in- Iob. 1. quiens, mali quippiam cogitauerint in cordibus suis. Si cogitationum non est habenda ratio diligenter, cur holocaustum pro peccatis cogitationis offerebat? Dána Nu. 16. ti fuerunt & illi, qui in cōgregatione Chore male cogitabant, & male cogitantes combusti sunt. Iam cum Math. audimus illud; Velti autē & capilli capitis numerati sunt: intelligamus, capillos capitis esse cogitationes, caput autem mentem, in qua vis est cogitandi. Ex consensu Dominus iudicat adulterium, & ex mulieris cupiditate factum metitur, & eadem ex iracundia, & odium existimat homicidium, Omnis, inquit, Matt. 5. qui temere irascitur fratri suo, reus erit iudicio, & 1. Io 3. qui odit fratrem suum, homicida est. De cogitationum exploratione testat & Paulus, illuminabit, inquit, 1. Co. 4. Dominus, abscondita tenebrarum, & manifestabit con-



SE IPSVM REPREHENDIT,

- Rom. 2.** filia cordiū. Et rursum, accusantibus cogitationibus, aut etiam defendentibus in illa hora. Ne dixeris igitur mihi nihil esse cogitationes, quando consensus earum pro factis existimantur. Neque tamen primus cogitationis impetus iudicatur, sed cum animus sic indulget cogitationi, ut ex ea percipiat voluptatem. Nō omnia, quæ in terra spargit agricola, semina coalescunt. Neque omnia mentis cogitata inhaerent in voluntate. Eorum, quæ terra suscipit, fructū exigit agricola. Sic omnium, quæ voluntas approbat, Deus rationem repetit. Pater meus, Seruator ait, agricola est.
- 1. Co. 3.** Et Paulus, Dei, inquit, agricultura estis. Nolite igitur me a sollicitudine remouere, sed contra potius, vos quoque pro me solliciti estote. Idem Paulus alio in loco, viuis est, inquit, sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Si discernit cogitationes, cur mihi re non opitulamini. Vultis animam & spiritum cognoscere? Id ex agricultura rursum intelligetis. Norunt agricolæ naturas agrorum, & pro cuiusque terræ ratione semina iaciunt. Peritia enim sua cognoscunt quid cuique solo conueniat. Sic & Deus noster discernit inter naturales & voluntarias cogitationes. per animam enim naturales, per spiritum voluntarias significat. Omnia vanitas, inquit Ecclesiastes, & afflictio spiritus. In vanitate naturam constituit, in afflictione actiones naturæ repugnantes. Ideo vanitas, inquit, transibit. Quæ autem quisque egerit in iudiciū adducet Deus. Ex natura homines Paulus item appellat animales, naturæ vero aduersantes, carnales. Nam qui spirituales sunt, naturam quoque ipsam ad spiritum accommodant. Nouit enim agricola Deus naturam omnium, & propositum, & facultatem, verbumque; suum pro cuiusque viribus ferit, actionisque; fru-

ET PECCA. SVA CONFL. 38

ctum exigit. Consensus ipsi profecto, fratres mei, pro factis iudicantur. Actionis enim vis & caput in ipso consensu & proposito situm est. Iccirco Dominus mat. 15. līs cogitationibus dixit hominem coinquinari. An. Le. 5. ma enim est, quæ agit in corpore. Possū hoc vobis ex lege depromptis exemplis comprobare. Vt si immundus tetigerit, quod mūdum est, illud coinquinat. At libido, & inuidia, & iniustitia sunt immunda. Si quid igitur malifacias, alios coinquinas exēplo tuo. Sin animo & cogitatione tantum malo consensum præbeas, tu solus inquinaris, & de te solo rationem reddes. Quod si aliis eris offendiculo, reus eris omnium, qui te imitabuntur. Quid gentium leges, nōne facientes consentientesque; puniunt? Consensus enim auxilium iudicatur. Lex autem etiam in actibus & la. Leu. 13. pidibus aliud proponit exemplū, si sacerdos, inquires, ingressus fuerit, & viderit lepram domus, omnia, quæ in ipsa sunt, erunt immunda. Per sacerdotē, mea quidem sententia, lex cognitioque; intelligitur. Si quis igitur, antequam legis cognitio ad se peruenerit, peccator existit, pro aliis rationem non reddet, quoniam peccauit imprudens, ipse tamen turpiter immundus est. Datur & alia interpretatio, quam quidem ego in medium afferam, ut me multis esse peccatis obnoxium intelligatis. Sunt quidam nondum inquinati, & tamen propter societatem immundi, si nimirū qui per ignorantiam consensum addibent. Quod si celeriter recesserint, ne consensus quidem reddent rationem, quandoquidem nec leges ac iura testes prætereuntes condemnant, sed eos duntaxat, qui voluntate, & dedita opera interfunt. Quos igitur lex ac magistra nostra cum inique agentibus sponte versantes consentientesque; deprehenderit, eos condemnat. Atque his quidem legibus & Apostolus vsus est, Digni sunt, Rom. 1. inquires, morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Huc ea pertinent, quæ



Iac.4.

SEIPSVM REPREHENDIT,
orationis initio commemorauimus. Etenim qui testes malorum spectatores tantum extiterant, propterea quod morte nihil dignum admiserant, fuerunt absoluti, licet omnia cruciatuum genera pertulerint. Nemo vestrum me consoletur, dicens, nihil referre confensum qui cogitationibus adhibetur, sed potius cognita veritate vicem meam deoleat. Etenim hoc ipsum, quod loquor, non emendans vitam meam, mihi vertitur crimini. Nam, ut scriptura testatur, scienti facere bonum, & non facienti peccatum est illi. Et qui admonitus non erubescit, grauius plectitur, quoniam ad iracundiam prouocat preceptorem. Ego quidem accuso meipsum, sed in peccatis permaneo. Peccata mea confiteor, sed peccare non desino. Id vnum ad me excusandum arripio, quod videns non video. Quippe qui poenitentiam agens ad peccata redeo. Neque enim in iis quae facio, considerate me gero. Poenitentiam meam accuso, quod sim tanquam seruus peccati, & malum inuitus faciam. Ac veluti peccato militans subiectus, & quanuis nequeam, vestigal pendo propter consuetudinem, quae cogitationi meae dominatur. Stipendia carnis accipio, dum cupiditatibus incumbo. Quid a me corruptio quaerat, non ignoro, & mandatis eius obtempero. A laboribus abhorreo, & aduersus imperantes tanquam catenis deuinctus canis insurgo. Peccatum odi, sed indulgeo cupiditati. Iniquitatem fugio, sed inuitus superior a voluptate. Peccati seruituti naturam subieci, in de necessitas proficiscitur. Quae per consuetudinem amplexus sum, ea in me cupiditates accendunt. Carni mentem sic obstrinxi, ut ab ea nolit separari. Mutare propositum studeo, sed inueterata repugnat institutio. Ab aere alieno liberare animam cupio, sed eius impedit magnitudo. Improbis fenerator est Diabolus. Non repetit debitum. Prompte mutuat, nec vult vnquam exigere. Nullum aliud saenus postulat praeter seruitutem. Abundè fug

ET PECCA. SVA CONFI. 39
gerit ea, quibus cupiditates nostrae augeantur. Hoc ille lucrum attendit. Volo ego reddere, quae debeo, at ipse alia subministrat. Sin cogo, ut accipiat, maiora suppeditat, ut ex iis, quae eius sunt, ea depromere videar. Cum vetera spero me debita persoluisse, nouis me cupiditarum chirographis obstringit. Nouit me debiti continuatione adduci, ut libens peccator existam, & nouas inueit cupiditates. Operam dat, ut veterum cupiditarum obliuiscar, ne illas confitear, suadetque, ut ad nouas tanquam minime nocituras accedam. Nouis igitur me cupiditaribus insinuo, & temere tra do veteres obliuioni. O improbum Draconis nominatum, qui seruus imperat. O fallacem cupiditatum licentiam, quae adulando redigit homines in seruitutem. O miseram peccati consuetudinem, quae in naturam conuertitur. Haec arras dedit, ut mentem emeret. Carni indulgit, ut animam subiceret. Adolescentiam meam oppressit, ut mens, quid ageretur, ignoraret. Imperfectum sibi sensum coniunxit, ut eo tanquam catena ferrea perfectam intelligentiam retineret. Volentem auferere vinculo cohibet. Et a carne deficere cupientem ut stultam reprehendit. Peccato fores occludit, ne supplex ad Deum confugiat, carnemque liberet. Iureiurando confirmat non esse malum, carni indulgere, neque de re tam exigua rationem exactum iri. confusum multarum cogitationum acervum proponit, negatque fieri posse, ut earum cognitio habeatur. Earum ostendit subtilitatem, easque sub examen minime venturas, sed obliuione delendas affirmat. Si iudicium futurum proposuero, ego, inquit, culpam praestabo. Si dixerio peccatum esse, ego, inquit, defendam. Si poenam mihi imminuentem ostendero, quomodo, inquit tibi, si ego subieci. At ego, inquam, quod paruerim, condemnabor, nequaquam, inquit, quoniam ego te coegi. Quomodo potes iudicari, cum proposito non pecces, sed me impellentem. Omitte igitur sollicitudi-



Rom. 7.

SE IPSVM REPREHENDIT,
nem. His me rationibus capit. His me rationibus il-
ligat. His me vendit, atque emit. His me fallit, ac de-
cipit. His mihi adulatur, meq; suæ subiicit seruituti.
Mei similem peccatorem Paulus carnalem appellat.
Mores inter naturam atque peccatū sunt medii. Per-
turbationes fouent peccatum, & naturam affligunt,
animam opprimunt, & mentem redigunt in seruitu-
tem. Carnis opera peccatum vtitur ad animā ac men-
tem superandam. Iusta enim eius vt ministra sedula
perficit. Si verberare vult animam, id per carnem exe-
quitur. Caro enim est veluti animæ catena quædam,
qua illam tanq̄ ouem ad cædem trahit. Hæc sublimè
volucrè humi deprimt. Hæc gigâris pedes manusq̄ue
vincas concidit. Nec fugere valeo, nec mihi ipse opi-
tulari. Sum enim veluti mortuus viuēs, & cæcus aspi-
ciens. Factus sum veluti canis, quanuis sim homo: &
cūm ratione sim præditus, vt iumentum effectus sum.
Miseremini igitur mei, o amici mei. Me humi iacen-
tem excitare, quicumque naturam corporis natura
spiritus temperastis. Nolite in terra commorari, qui
peccatum, vt vulpem estis persecuti, & cupiditates
tanq̄ feras bestias superastis. Festinate, quaeso, anteq̄
sententia pronuntietur, anteq̄ moriar, ne vna cū stul-
tis virginibus excludar, anteq̄ reuertar in terram, vbi
nō licet mortalium vitam intueri, nec de iustitia aut
iniustitia disputare. Vbi non est corpus, per quod vi-
ta aut mors ad animam accedat. Vbi nō est caro, per
quam inimicus ab eius infirmitate victus confunda-
tur. A miserabili cupiditate affectione Domino adiu-
uante cupio liberari. Si mei misertus fuerit, parere
illi certum est. Si mecum egerit secundum multitudi-
nem misericordie suæ, a peccato me liberabit. Et si in
me benignitatem suam effuderit, saluus ero. Scio ni-
hil ei esse difficile. Non despero de salute mea. Miseri-
cordie ipsius magnitudo superat multitudinem meo-
rum peccatorum. Eum, cūm factus est homo, misertū

ET PECCA. SVA CONFI. 40

esse omnium non ignoro, mihiq̄ue in baptisinate pec-
cata fateor condonasse, huius enim gratiæ ipse quo-
que particeps factus sum. Cæterum eorum, quæ post
baptisina commisi, ego medicina. Quod cūm ita sit,
tamen is, qui suscitatur mortuos, curare me potest. Cæ-
cus natus sum, sed ipse cæcum a natiuitate illumina-
uit. Ouis sum a leone deuorata, sed ipse ex ore serpen-
tis Adā liberauit. Canis propter peccata sum factus,
sed curabor, & ad illius Syrophenistæ similitudinē
filius efficiar. Vt leprosus reiectus sum, sed, si volue-
rit, mundabor. Post veritatis cognitionem peccasse
me planè noui, sed sanctum habeo Dauid pro me sup-
plicantem. Ille Dei auxilio respicit, & ego eodē adiu-
uante respiscam. Magnis me peccatis obstrinxi, non
nego, sed maior tamen est clementia Dei. Qui publi-
canum prouexit ad apostolicā dignitatem, mei quo-
que, quanuis magnus peccator sim, miserabitur. Qui
suam in Zachæum benignitatem ostendit, eandem in
me, licet indignus sim, declarabit. Lupus erat Paulus,
qui Christi gregem persequeretur, sed deposita cru-
delitate factus est ovis. Qui tanq̄ fera oues dissipa-
bat, idem bonus regendis illis pastor præpositus est.
Quod si per ignorantiam ille, ego autem prudēs pec-
caui. Maiorem ipse gratiam acceperit, ego veniā tan-
tum impetrem peccatorum. Hic, fratres, hæreo, hic
opem vestram imploro. Neque enim iudicium dunta-
xat reformido, sed dedecus & ignominia extimesco.
Eos, qui me nunc obseruant & colunt, valde vereor,
timens, ne in eorum conspectu confundar propter oc-
ulta peccata mea. Vereor eos, qui me genuerunt, ne
olim in æterna degentes vita cōdemnent me, qui ea,
quæ supra vitam hanc sunt, professus fuerim. Si vobis
rursus molestus videor, fratres, ignoscite, & neces-
sitati culpam ascribite. Illam volo viduā imitari, quæ
importunitate sua, quod voluit, impetrauit. Impuden-
tem item a micum illum imitabor, & vobis molestus



SEIPSVM REPREHENDIT

ero, vt è lecto surgentes, pro me Deum exoretis. Ille panis solatium flagitabat, ego salutis auxilium. Ille carnis cibum, ego animæ medicinam. Si vultis assequar, quod ipse cupio. Facile enim mihi benignū Dominum cōciliabitis. Pro me, quæso, supplicate, & preces vestræ Deum mihi profecto propitium reddent. Cupit ille misericordiam impartiri, sed studii ac pietatis vestræ fructum quærit. Ad ignoscendum est paratissimus, sed expectat, vt vos benignitatis suæ participes sitis. Miserendo vult docere, & ignoscendo socios quærit. Omnibus in rebus bonitas ipsius perspicua est. Qui desit peccata sua, cauetq; ne proximo patriat offendiculum, neve alios ad peccandum inciter, is facile veniam impetrat. Vniuscuiusque conscientiam Deus intuetur, peccatorumq; nouit & numerū & magnitudinem. Esau pœnitentiæ locum non inuenit, quia non inuitus, sed sponte, nō ignorantia, sed prudens peccauit: parentes contempsit, nec Deum veritus est. Iudas item pœnitentiæ locum non inuenit, quia cum Domino versans peccauit, & Deo contempto iustum perdidit. Multum igitur interest inter peccata, quæ scienter fiunt, vtrum ea quis sensu, an cogitatione cōmittat, quanuis vtrobique consensum adhibeat. Et grauius aliquando cogitatione vnus, q̄ opere alius peccat, cum hic pœnitentiæ locum inueniat, ille minime. Exemplis sunt ea, quæ dicimus confirmanda, ne commentitia & inania videantur. Chan vi sis pudendis patris sui damnatus est. Dauid autem, qui re ipsa peccatū expleuit, absolutus. Qui Chore, Dathan, & Abiron conserant, cum nihil omnino dixissent, aut fecissent, a terra deuorati sunt, & viui in infernum descenderunt. Idem ferè vtrique contigit. Quinquagenario cum quinquagenis eorum militibus, qui ad accersendum Heliam accesserant. At totā synagogam, quæ conflatum vitulum adorauerat, post disciplinam Dominus liberauit. Et Saul contra præceptum

Gen. 9.

2. Reg.

12.

Nu. 16.

4. Re. 1.

Exo. 32

1. Reg.

13.

ET PECCA. SVA CONFI. 41

ceptum Domini obtulit holocaustū, ac reiectus est. Manasses autem, qui Idololatriæ peccatū admiserat, 2. Par. 33. postea q̄ pœnituit, gratiam inuenit. Peccauit Achab consuetudine, & susceptus est. Peccauit Achitophel consilio tantum, & in peccato mortuus est. Suppetur alia item exempla, quæ his poteritis adiungere. Ruben se patrem offendere non ignorabat, & cum esset reiectus, post mortem eius, a peccato liberatus est. Simeon, & leui grauius & scienter peccauerunt, damnatiq; ad tempus, denique veniā impetrarunt. Aaron etiam ipse constare vitulæ sacrificauit, & tamen ab ea macula ablutus est. Ophni & Phinees in despectione permanentes perierunt. Iā in Euangelio Petrus perituro se obstringit, & Christum abnegat, & tamen respiciens veniam impetrat. Elymas aduersatur prædicationi, & ad tempus cæcitate affectus liberatur. Ananias & Saphira sacerdotibus similes, quippe qui nullū ipsi quoque defensionis locū inuenerunt, quoniam in occulta quadam despectione versabantur. Qui Satanæ traditus fuit a Paulo, Rubem similis est, quia castigatus veniam obtinuit. Illud tamen interest, quod vnus viuente, alter defuncto peccauit patre. Iccidit Rubem maiori pœnæ subiicitur. Et Iudas proditor Esau similis fuit, quoniam vt hic primogenita, sic ille gratiam vendidit. Quamobrem vterque reiectus est. Sciebat Iudas id quod agebat, quia gratiæ habebat experimentum. Itaque Dominus ad eum, osculo, inquit, filium hominis tradis. Et quanuis diuinitatem cognouisset, tamen ab auaritia victus est. Et Esau quāuis admonitus, tamen parentes irritauit. Magna est differentia, fratres, in ipsa peccati cognitione, magnum discrimen. Actionem considera, & differentiā intelliges, consensum respice, & iustitiæ discas grauitatem. Tempus actionis expende, & pœnam planè iustam esse dices. Nos persona ne fallat, quanuis ea, quæ sunt, non videantur. Ex me discite, q̄ rectè Pharisæi

2. Par.

33.

3. Reg.

21.

Exo. 32

1. Re. 2.

Act. 13.

Act. 7.

Luc. 22.

23.



SEIPSVM REPREHENDIT,
reprehenſi fuerint, cum eos Chriſtus ſepulchris dixit eſſe ſimiles dealbatis. Quod illi cum eſſe verū negare nō poſſent, ab inſidijs ſe cōuerterunt. Mihi quoque ſapīſſime eiufmodi cōtingit trititia. Cū enim arguor a cōſcientia, doleo & ægrefero. Acerbus enim apud eos, qui latere ſtudent, eſt ſtimulus veritatis. Et homines ambitioſi moleſte ferunt, cum reprehenduntur. Aperite ſepulchrum meū, & vermes apparebunt. Tollite ſiſtionis operculum, & quid intus ſit, facile perſpicietis. Videbitis actionis meæ virtutem. Phariſaicam ſimilitudinem agnoſcetis. Hac vna re ab illis diſſero, quōd ego, quid ſim, fateor. Quamobrem orationibus veſtris me procul a pœna, quam mereor, abſuturum ſpero. Magni enim intereſt, vt in tempore iniquitatem conſiteare, & cōſitendo principis iracundiam vites. Non parui momenti eſt, vt iudicem tibi, culpam non negando, beneuolum ac propitium reddas. Phariſæi nanque in pertinacia ſua permanentes cum Hieruſalem capti ſunt. Et ſimulatam iuſtitiam iactitantes peccatoribus conſitentibus deteriores extiterunt. Itaque ab initio Chriſtus dicebat eos in ſtolis ambulare. Quin etiam per Sophoniam prædixerat ſe venturum & reprehendurum illos, viſitabo, inquit, eos, qui veſte induti ſunt peregrina. Semper ab illo reprehendebantur, quōd iuſtitiam ſimularent. Si aliena veſtimenta geſtabant, quorum erant illa veſtimenta? Ego quidem dicerem Prophetarum, quoniā in illis populus erudiebatur. Ouium enim & caprarum pelibus, vt Paulus ait, induebantur in ſolitudine nimirum. Nam in ciuitatibus habitum mutabant. Neque enim ſcire volebant homines, quid ipſi facerent. Peregrinus igitur erat habitus Phariſæorū, qui, cum eſſent inſipientes, ſapientium præceptorum more veſtiebantur. Pelliceæ quidem veſtes erant illis ad comparationem. Nam populo volebant eſſe conſpici, Pelliceas autem habebant vt ad exercitacionem

Mat. 12.

Soph. 1.

Heb. 11.

ET PECCA. SVA CONFI. 42

accommodatas. Temperantia enim calore indiget Et habitus erat congruens, tum domi, tum etiam foris. Temperantiæ enim inopia prodeſt. Intelligentia porro per meditationem, & prudentia per temperantiā proficit & augetur. Vtraque tam ſapientibus q̄ prophetis erat neceſſaria. Illis quia docebant, his quia reprehendebant. Quapropter & habitu egebant vtrique. At Phariſæi neutram vitæ rationem ſeruabant, quia nec ſapientes erant, nec prophete. Quocirca Dominus eos merito reprehendebat, quōd auaritiæ non veritati vacarent. Ego autem vobis, fratres, meipſum indico ac reprehendo, ne repente, cum Dominus cauſam meā cognouerit, rideatis. Opus enim cuiuſque, vt inquit Apoſtolus, ignis probabit. Quōd ſi nouit opus explorare, quanto magis habitum diiudicabit. Siquis enim iuſtorum habitum induit tanq̄ iuſtus, non reicietur. At ſiquis indignus illum aſſumpſerit, ſpoliabitur. Hic eſt ille, de quo in Euangelio ſcriptū eſt: Diuidet eum. Habitus enim ſignificat dignitatē. Episcopus enim, & presbyter, & Diaconus, ac reliqui vt dignitate, ſic etiam habitu diſtinguuntur. Qui reperiuntur indigni, ſpoliabuntur. Non de operibus dictum eſt illud: Diuidet: Nam ignis opera mala ſimul cum auctōribus eorum comburet: ſed de nomine, & habitu, ac dignitate. Gloriam enim & honorem amittent, & ignominiam induent ac confuſionem. Veſtimenta decus aut turpitudinem indicant. Id quod etiā in hoc mundo intelligi poteſt. Alio enim habitu induti ſunt capite damnati, qui trahuntur ad ſupplicium, & alio, qui in aliqua ſunt dignitate conſtituti. Ex terrenis cœleſtia cognoſcamus, & ex talentis illis, quæ Chriſti miniſtris ſunt diſtributa, tum dedecora intel ligamus, tum dignitates. Non omnibus talenta diſtribuit Deus, ſed ſeruis ſuis. Itaque & Monachi vt mihi quidem videtur, talentum acceperunt. Quamobrem & habitu ab iis, qui in mundo viuunt, diſtinſi ſunt,



SE IPSVM REPREHENDIT,

Quo quidem habitu modestiam & propositum suū præferunt. Quocirca de habitu etiam iudicium fit. Quandoquidem habitus professionis vim indicat. Quare qui aliud, q̄ professus est, facit, alienum habitum sumit. Cuius autem est hic habitus, nisi eorum qui faciunt illum alienum? Siquidē de sermone etiā otioso indicamur. Ecquis est sermo otiosus? Professio fidei, quæ caret operibus. Credit enim, & Christum proficitur, sed otiosa atque iners est, cum ea minimè faciat, quæ a Christo præcepta sunt. Est alius itē otiosus sermo cum quis confitetur, & non emendatur. cū dicit se pœnitere, & peccare non desinit. Et detrahentis otiosus est sermo, quoniam eum, cui detrahit, præsentē cum videt, obmutescit. Et qui timidè reprehendit ac corrigit, otiose loquitur, quoniā eius sermo nō habet robur aut firmitatem. Et qui mendacia fingit, eodem laborat vitio, quippe qui profert ea, quæ nec facta, nec visa sunt. His autem criminibus sumus obstructi. neque enim temere a me instituta hæc est indagatio. Aperio vobis, fratres, ægritudinem meam, vt curandis vulneribus meis orationis vestræ medicamentum adhibeatis. Studeo vobis actiones meas singulas aperire. Nam si verum coelauero, mihi ipse afferā detrimentum. Multi præ pudore tacendo morbum insanabilem efficiunt, quem postea pœniter medico non ostendisse. Ego vero nisi me peccata mea propter multitudinem effugerint, eorum turpitudinē non abscondam. Satius enim est, opem petendo viuere, q̄ præ recundia tacendo fame confici. Et magis expedit, dolorem ferendo a morbo liberari, q̄ quiescendo talem morbum efficere, vt nullam recipiat curationem. Latentem igitur in me locum quandam habet otiosus sermo. Quid ita? quia nō id ago, quod habitu profiteor. Quia post boni cognitionem, in malo persisto. Quia quæ bona sunt, doceo, & opere non perficio. Multa, fratres, ad vos & ad alios complures conscripsi; quæ

ET PECCA. SVA CONFI. 43

quidem scribens sententiam in me ipse tuli. Et cum male agerem, animaduertebam, & perseuerabam. Iudicabam monachos, cum ipse monachi tantum habitum circumferrem. Ea mihi tantis in malis sola reliqua est consolatio, Quod nemini offendiculum aut scandalum peperit. Malum commisi, sed huius nulli testes sunt homines. Alios scriptis reprehendi, sed mordax acerbusq̄; non fui. Iustitiam violauit ad misericordiam inclinans, sed id in me non præstiti. Fratribus cibos malè distribui, non tamen eos propinquis meis dedi. Ventrem impleui, non tamen epulis sumptuosus. Ieiunium solui, non tamen contempsi. Temperantiæ studium accuratè laudauit, sed ad tempus aliquando illud ipse remisi. Mendacium dixi, inuitus tamen & imprudens. Preces & orationem neglexi, non tamen per contemptum & impietatem. Ad decantandos psalmos piger accessi, non tamen secularium distractus familiaritate. Operi manuū non incubui, nec tamen cuiq̄ grauis fui. Multis locis a veritate discessi, nec tamen omnino quenquam offendi. Obsecro igitur, vt mihi in terra iacenti manū porrigatis. Surgere enim cupio, sed non possum. Quoniam me peccatorum onus affligit. Surgere studeo, sed mala hu mi me derinet consuetudo. Oculos equidem aperio, sed magna in caligine & tenebris incedo. Manū moueo, sed veluti paralyticus. Tranquillus videor, & tamen mœreo. Bonum animi propositum habeo, sed vi quadam impediō. Amicos & hospites diligo, sed nō vt debeo. Pietatis sum cultor, sed tepidus. Diligentibus me beneq̄; mœretibus in amore officiiq̄; respondeo. Inimicos meq̄; afficientes iniuriā si minus vlciscor, non tamen amore ac beneficiis prosequor. Iis, qui me oderunt, infensus sum, sed tamen insidias non struo. Peccandi causas si minus quæro, non tamen diligenter fugio atque declino. Gloriam & si non auerpor, non tamen contēno. In omnibus denique actio-



DE CHARITATE

ribus meis supinus sum quidam ac negligens. Proinde tanquam paralyticus ac neruorum dissolutione laborans opem & auxilium & misericordiam imploro. Cum enim æger sim, ego medicina, quam tamen haud diligenter inquirō. Morbum utcumque meum intelligo, & curantis manum desidero, sed reformido. Quamobrem, fratres charissimi, cum quibus in malis verser, perspicitatis opitulamini. Quod si studiose celeriterque feceritis, de Dei benignitate minime despero. Liberavit olim & Moses Mariam sororem a lepra. Et David Ionatam a iudicio Dei propter affectionem. Et Elias viduam filium a morte. Et a fame viduam Elisabeth, & Sunamitidem a luctu. Quid in Euangelio? quam multi precibus aliorum fuerunt a variis calamitatibus liberati? Nam de saluatore quid attinet dicere, cui ea, quæ videntur fieri non posse, sunt facilia? Animas enim eorum, qui aliis consolationem afferbant, sed propter transgressionem se liberare non poterant, ipse liberavit. Hæc, quæ audiuitis, partim a vobis fieri possunt, partim nequeunt. Quod igitur potestis, id nobis, quemadmodum illi præstare. Atque illud etiam, quod a vobis fieri non potest, concedetur, & donabitur a Deo, qui infinitæ pelagus est misericordix, si mihi precibus vestris conciliabitur, propitiussque reddetur. Quo enim ipse hominibus antecellit, eo vos digni efficiemini. Nam omnem mortalium humanitatem clementia sua facile superabit. Sanctorum enim est, pro peccatoribus intercedere: Dei vero, misericordiam impertiri, & oves, quæ aberrando perierant, ad ouile suum reducere in Christo Iesu Domino nostro, per quem, & cum quo, patri gloria & imperium cum sancto Spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

De charitate.

SI tibi ea potestas concessa sit, frater charissime,

DE CHARITATE 44

ut linguis omnibus loquaris, & spiritus scias distinguere, & omnes ægrotudines curare, caue, ne charitatis fructibus spolieris, & his muneribus elatus desinas Dei misericordiam implorare. Cumque magnus ille Rex iustos a peccatoribus separabit, ad sinistram constitutus audias verba illa maxime formidanda: Discedite a me maledicti in ignem æternum. Scriptum enim est: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est. Multi enim dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam noui vos: Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Quid ita? Quia charitatem non sunt amplexi nam, ut scriptum est, qui fratrem suum, quem videt, non diligit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? Seruus ille, inquit, qui nouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis. Qui autem non nouit, & non fecit digna plagis, vapulabit paucis. Quamobrem adhuc excellentiorem viam, inquit Apostolus, vobis demonstro: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit, quæ sua non sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia su-



DE VITA SPIRITALI

stinet. Charitas nunq̄ excidit. Ecce, vim charitatis, dilectissime, audiisti. Hanc tu in omnibus operibus tuis, vt obtineas, stude, vt cœlesti gratia duce laudem apud Deum assequare. Obsecro autē vos, fratres charissimi, vt me seruum inutilem, precibus vestris Domino commendetis, ne verba sermonesq; mei contra me sint in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Nihil enim mihi confcius sum. Sed terribilis quædam me mouet expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura, est aduersarios. Deus autem per misericordiam suam mihi quoque licet indigno vobiscum & cum reliquis electis suis in regnum suum ingredi permittat. Et Dominus Iesus diffundat charitatem suam in cordibus nostris, cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Heb. 10

De vita spiritali consilium, ad Amocum, qui paulo ante se vite monastice addixerat.

LAVDO fidem & studium tuum, qui ab homine peccatore cupias aliquid audire, quod tuo viuendi instituto prodesse queat. Idq; non semel, aut bis, sed sæpe flagitaueris, quod animi, virtutis amore ardentis indicium est. Me vero deterret operum dissimilitudo, quorum fœtor est intolerabilis. Rursum, vt obsequar tibi, illud me cogit, quod te audissimum video audiendi ea, quæ pertinent ad timorē Dei. Qui enim vitam diligunt spiritalem, iis, quæ ad virtutem excolendam spectant, audiendis oblectantur. Qui autem ad seculi vitam propensi sunt, sermones spiritales audivere cōtemnunt, & eos, qui de illis loquuntur, interpellant. At de vitiis ac voluptatibus audientes verba, nulla vnq̄ afficiuntur satietate, quæmetiā cibo & somno prinari se malunt, quam eiusmodi nugis finem imponere.

2 Tu verò inutilibus sermonibus contēptis, in spi-

DE VITA SPIRITALI 45

ritalibus insiste, vt te Dei memoria nunq̄ deserat. malus enim ac bonus odor simul esse non possunt.

3 Siue in itinere, siue in navigatione, siue in cellula tua, siue in iuniorum, siue in seniorum congressu fueris, summisse te semper atque humiliter gere. Prudenter & cōsideratē labores suscipe, vt nulla ex actione tua detrimentum accipias.

4 Sit tibi victus simplex ac necessarius, ne mēs tua crapula, & ebrietate, & curis vitæ torpescat, atque hebes fiat. Qui eiusmodi cupiditatibus seruiunt, ii nec libidinem, neque adulterium fugiunt, neque ea, quæ a gentibus Deum ignorantibus fiunt, auersantur, sed potius, qui in luto voluntantur, similes, sine timore in omnia flagitia præcipites ruunt, nec legis, nec prophetarum memores, nec Domini ipsius, qui vt peccatum destrueret, factus est homo. Sub pietatis igitur specie sibi placentes, mente capti sunt, & obcæcati, & vitiis sese omnibus inuoluunt, quia Dei timorem neglexerunt. Quamobrem carnis esu, & vini potu ne delectare, vt mens tua ad munera spiritalia suscipienda sit idonea.

5 Si cum fratre de cogitationibus colloquaris, & lingua tua ab eo deflexerit, quod rectum est, propterea quod anima tua capta sit a cogitationibus voluptatis, caue, ne ioca & facetias, atque vrbānitatem immisceas, vt sensum tuum contegas, ne a proximo reprehendaris, ex quo fiat, vt neque illi satisfacias, & te pestifero tradas Dæmoni. Precatione & silētio potius vtere, & ad te Spiritus sancti gratia reuertetur, nec mentis insania laborabis.

6 Si nouitii ac tyronis cura tibi commissa sit, isq; bonum & suaue Christi iugum excusserit, ita vicem illius dole, ne nimia doloris ac sollicitudinis magnitudine oppressus, creatorem tuum offendas, simulq; pereas. Neque enim si scapha decidat, nauis etiam est negligenda.



DE VITA SPIRITALI

7 Ad Domini voluntatem referantur actiones tuæ, & laqueis Diaboli non implicaberis. Eius enim mos est, malum sub specie boni machinari.

8 Si mansionis præfectum pro fratre, qui eiectus est, depreceris, noli precibus tuis patrem cogere, sed ita mone, vt rem diuinæ cõmittas voluntati. Quin scis enim, an ille ex animo respuerit? an ingressu suo reliquos sit fratres perturbaturus? Quauis exigua scintilla in arca incidens, facile totius anni labores exurit.

9 Necessè est, vt quisque proximum ferat, quantum ratio postulat. Beatus autem, qui spe in Deum adductus fert proximum suum. Væ illi, qui fertur, & non intelligit.

10 Qui in solitudine vitam degit, a tribus impugnationibus liber est, quæ nimirum ab oculis, & auribus, & lingua proficiuntur. Qui autem in fratrum cœtu & contubernio conquiescit a tribus item est sollicitudinibus liber, nempe ab emptione, venditione, & latronum incurfu.

11 Si contigerit, vt cum iis, qui adolescentia & pulchritudine florent, verba facias, oculos tuos custodi, ne cupiditas turbet animum tuum, & sermones studii, & affectionis plenos incipias in longum ducere, summisq; labiis de modestia ac temperantia loquens, mentem tuam libidine contamines. Cùm igitur in eiusmodi congressum incideris, verbis paucissimis sermonem absolue, ac silentio vtete. In multiloquio enim, vt scriptum est, non deerit peccatum. Et consuetudines ac familiaritates huiusmodi non mediocre afferunt animæ detrimentum. Quamobrem eas præcide, semper sollicitus, ne te in errorem aut peccatum aliud quod alliciant.

Pro. 10.

12 Eo quisque plus proficit, quo voluntatem suam magis deiicit atque submittit. Quanto autem quis in voluntate sua persistat obstinatius, tanto maius sibi dedecus & ignominiam parit. Noli igitur propriæ vo-

DE VITA SPIRITALI 46

luntati deseruire, sed pare potius voluntati Dei.

13 Siquis monachus per negligentiam a proprio statu defecerit, impudentiam illi subiicit inimicus, ne sit tristior modestiorq; fuerit, patrum prudentia communitus respiscat, ac redeat ad bonam frugem.

14 In Christo subiecti ne recuses. Inde enim fructus stabilis ac tutus proficiuntur.

15 Si quis Diaboli fraude deceptus a recte instituta viuendi ratione deflexerit, neque villo tamen odio aut inuidia exarserit aduersus illos, qui in bono proposito perseverant, non sinet eum Deus in errore versari, sed ei manum porriget, vt excitetur, quod nõ abiecerit charitatem. Qui autem sibi ipse videtur stare, si arrogancia tumidus alios despiciere atque odio prosequi perrexerit, magno in periculo versabitur. Odiũ enim oculis eius tenebras offundet, vt vbi consistat, videre non possit.

16 Si in domo Dei ad spiritale sacrificium confiteris, alacri animo psalmis canendis incumbito. Nam si tu silueris, silebo & ego, silebit & proximus, atque ita cantus necessario dissoluetur. Quamobrem haud ita fiat. Qui enim Principem aut Regem in theatro faustis acclamationibus excipiunt, si quem in propiti quo silentem aspexerint, cum ipsi clamoribus disrumtantur, eum vt illo indignum loco derubant. Oportet igitur, vt nos item animo minime remisso aut negligentia supplicationibus decantandis incumbamus.

17 Væ hominibus iniustis, væ impudentibus, væ deliciis & voluptates sectantibus, væ superbis. In ipso enim mortis articulo, & angustiis inferni, suo periculo discant, Dei timore nihil esse præstantius.

18 Bonorum familiaritatem dilige, malorum fuge. Neque enim venefici, aut latrones, aut fures nati sunt tales, sed euaserunt, cum illis versantes, quorum corrupta mens erat a Satana, Deus enim fecit omnia Gen. 1. valde bona.



DE VITA SPIRITALI

- 19 Noli balneis, aut esu carniū delectari, ne in gra-
uia peccandi pericula incurras.
- 20 Virtutes & rectam fidem amplectere. quis enim
virum, qui vitam suam sic instituit, beatum non arbi-
tretur? Cū ē cellula tua negotii cuiuspiam, aut con-
ueniendi alicuius gratia discedis, oculos tuos muni,
& animum piis cogitationibus institue, sic illum al-
loquens: Egredus es non tanq̄ pictor, vt hominū for-
mas effingas atque exprimas. Diligenter attende ti-
bi. Quomodo enim, si rebus, quæ sensibus subiectæ
sunt, fueris occupatus, iis, quæ non videntur, vacare
poteris, atque in Dei recordatione tere oblectare &
conquiescere?
- 21 Desine aliena mala curiosè peruestigare, ne pia
mens tua merito corrumpatur.
- 22 Silentium cole, a multis enim te sordidus libera-
bit. Peccatorum supplicia assidue meditare, & operā
da, ne eisdem tu quoque paulo post afficiaris.
- 23 Nonne domum aliquando in luctu & squalore
versantem ingressus es, & ex illa conspectu eius mæ-
rore, q̄ primum exire concupisti? ex caducis & breui-
bus conice sempiterna. Scriptū est enim: Da sapien-
ti occasionem, & sapientior fiet.
- 24 Si ad te de migratione cogitantem accesserit quis
piam, & vicem tuā commiseratus, migrationis propo-
situm collaudarit, caue, ne temere eius consilium pro-
bes. Sin aliquis te ceperit reprehendere, & in propo-
sito vt maneat cohortari, huius commotionem po-
tius audi. Qui enim liberè fratres arguunt, eorum fa-
luti magis consulunt.
- 25 Quot desperationis cogitationes eos potissimū
inuant, qui degunt in solitudine, etsi paucos arbi-
tror ignorare, tamen confirmandi tui gratia nonnul-
las persequar.
- 26 Cū animus permittit, sensus a rebus caducis
occupari, tanq̄ desertor ac transfuga a præclara illa

Pro. 9.

DE VITA SPIRITALI 47

- bonorum futurorum contēplatione, ac studio, spēs;
deficiens, in rerum inanium cogitatione defigitur,
atque illis perfrui concupiscit, inuidiāq; ac malitiæ
seruus constituitur.
- 27 Hei mihi, quid faciam infœlix? Magna est imbe-
cillitas mea. Solitudo, & paupertas, & languor occu-
pant me. Opus facere non valeo, quaritare erubescō.
Commodis & fortunis domesticis exutus sum. Qui
rebus secundis frui poteram, in aduersa me sponte
conieci. Ludibrio ac contemptui sum iis, qui me bea-
tum existimabant. Mæror ex calamitate me compre-
hendit. Nemo adest adiutor, nemo cōsolator. In igno-
minia & sordibus relictus sum. Ille ad sacerdotium,
alius ad dignitatem prouectus est. Ego hic contēptus,
inglorius, abiectusq; maneo. Nemo me inopia & egrit-
tudine laborantem miseratur. Ille diuitiis abundat.
Ille discipulorum cæterua stipatus incedit. Quamo-
brem cum viris gloria diuitiisq; præstantibus versan-
tur, & viuunt. Ego verò in sordibus versor, & victu
etiam indigeo quotidiano. Illi splendidis sunt vesti-
mentis ornati. Mihi desunt etiam indumenta neces-
saria. Quid? quòd illi cū vitæ dies iucundè traduxe-
rint, aromatibus condiuntur, & splendido funere elati
præclaris in tumultis sepeliuntur, in quibus Epita-
phia insculpta nomen eorum æternum conseruant?
Mihi vero cū ad vitæ finem peruenero, forte ne se-
pultura, quidē honor contingeret, sed ipsa cellula pro-
pter inuisentium inopiā mihi sepulchrum fiet. Cor
meum dolet, & quid faciam? Defecerunt oculi mei,
Dum assiduo obtutu fores aspiciunt, & nemo pulsat.
Mærore conficior, & nemo cōsolatur. Summa excru-
cior sollicitudine, & nemo miseretur.
- 28 Hei mihi, quia deficiunt in dolore dies mei. O ho-
mo, sic animam tuam alloquere: Quare tristis es ani-
ma mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, & ipse
prauas tuas, diriget cogitationes. Iis, quæ terrena

Psal. 41.



DE VITA SPIRITALI

sunt, incumbendo, eiusmodi te laqueis implicuisti, Nullus homo, mihi crede, qui in statu suo, seu clarus, seu obscurus ille sit, ex Dei voluntate se geret, reicietur. Quisquis autem cadauca sectatur, iustorum se spoliati consolatione.

Io. 12.

29. Quamobrem si gaudio illo perfrui concupiscis, malis cogitationibus, quæ nos a Deo seiungunt, aditum ne patefeceris. Nō mentitur enim ille, qui dixit: Qui amat animam suam, perdet eam, Et qui perditur animam suam propter me, inueniet illam. Quapropter, & Apostolus, Mortui enim estis, inquit, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum igitur apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis in gloria.

Col. 3.

30. Cur igitur res istas caducas, quæ fluminis instar aufugiunt admiraris? Quid proderit splendida funeris pompa? Quid ornamenta sepulchri, & vanæ laudationes homini proderunt impio, qui nullam quietem inueniet?

31. Quid illi profunt aurea laquearia? quid lectuli eburnei? Quid stragula vestis, & pretiosa supellex, cuius animus in corpore ipso tanquā in tetro carcere a feris cupiditatibus laniatur, & a Dracone cōuellitur? Quid hinc emigranti animæ proderit cura multorum, qui circa corpus in funere ornando occupabuntur? nisi in celebri illo cœtu, & in Ecclesia magna laus a Deo contingat? Noli igitur cadauca & fugacia hæc, quæ veluti cera liquefcunt, admirari. At illi cum viris principibus familiariter viuunt. Tu vero per orationem cum Rege omnium Deo versaris. Tu vnigeniti filii Dei corpore vesceris, & eius sanguinē bibis. Gaude & lætare, te dignum effectum esse, qui templū sis Dei. Ne despondeas animum, quōd in hac vita sis inglorius & abiectus, quōd morbo, aut senectute, aut inopia labores. Qui enim cœli volucres pascit, tui minime obliuiscetur. Si cæcitatem times, cogita, eam

DE VITA SPIRITALI 48

viris etiam iustis accidisse. Quemadmodum legimus de Isaac, qui cum Iacob ab ipso veller benedictionem Gen. 27 accipere, accede, inquit, fili, vt tangam te, & probem, vtrum sis filius meus Esau, an nō. Mentis autem oculis homines sancti cernunt acutissimè, sunt enim ab omni malitia integri & puri. Hos oculos tu itē a malitia integros serua, & de corporis morbo noli esse sollicitus. Deo enim cura est de nobis. Si tibi deesse doles victui necessaria, considera Herodem diuitiarū & voluptatum copiis abundasse, præcursorem autem vt hominem æquam & sordidum in carcere fuisse detentum. Verax enim est ille, qui dixit: Vos afflictio Io. 16. nem in mundo sustinebitis. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra verteretur in gaudium.

32. At ego, inquires, in miseria & obscuritate vitam transigens, nullam post mortem memoriam mei relinquam. Morbus hic est animi summa dementia, & inanis glorię cupiditate laborantis. Quam multos putas obscuros adhuc in orbe viuere, qui pro Seruatore nostro Deo persecutiones pertulerunt? Illi ergo, qui vitam in montibus, in speluncis, & in caernis terræ traduxerunt, quorum memoria ab hominibus non celebratur, perierunt? Minime vero. Nam eorum nomina in cœlo descripta sunt. Cœlestia igitur, non autem terrena meditare. Iustorum enim conuersatio in cœlis est. Quare labores ærumnasq; ne fugito. Atqui nos item, qui relinquimur & residui sumus, eos, qui in laboribus, & angustiis, & necessitatibus Domino placuerunt, beatos arbitramur. Quamobrem si iustorum cohæres esse vis, noli humilitatem despiciere, noli in rebus asperis & aduersis patientiam abiicere, vt vitam, & læticiam, & gloriam æternam consequare. Neque enim, vt inquit Apostolus, dignæ sunt passionnes huius temporis, quæ cum illa gloria cōparentur, Rom. 8. quæ reuelabitur in nobis. Quōd si nulla in re decipi,



DE VITA SPIRITALI

aut labi vis, crede, te nihil agere aut cogitare, quod Deum lateat. Porrò quòd omnia sint Deo comperta & cognita, ex historia Elisæi facile potest intelligi. Cùm enim bellum esset inter Regem Israel & Regem Syria, Rex antem Syriæ consilium iniret cum feruis suis, dicens: In loco illo, & illo ponamus insidias: mihi sit Elisæus ad Regem Israel, dicens: Caue, ne trãseas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque Rex Israel ad locum, què dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel, neque bis. Conturbatumq; est cor Regis Syriæ pro hac re, & conuocatis feruis suis, ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel? Dixitque vnus seruorum eius: Nequaquam, Domine mi Rex, sed Elisæus propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclauis tuo. Si nihil eorum, quæ clã gerebantur, latebat Prophetam, quomodo rerum omnium creatorem latere quicquam poterit? Iccirco nobis præceptum est, vt abditis in locis precibus incumbamus.

Matt. 6. Tu autem, inquit Dominus, ac Saluator noster, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio patrem tuum ora in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Abiciamus igitur omnem malitiæ cogitationem, ne diffluamus. Nudus enim est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. Ne timeas igitur, neque dubites. Siue enim velimus, siue nolimus, in oculis Domini versamur. In rebus aduersis & asperis latere. Variis enim ex floribus coronæ texuntur. Et per multas tribulationes ingrediuntur iusti in gaudium Domini. Hos debemus & nos semper imitari.

Iob. 26.

33 Animarum curam ne concupiscas. Cùm enim ad eum gradum nondum peruenieris, vt omnibus imperes animi perturbationibus, & te ipsum, & eos, qui te sequerentur, læderes. Quòd si inuitus ad eiusmodi

munus

DE VITA SPIRITALI 49

munus pertraheris, summam in eo administrando adhibe diligentiam, non vt ea, quæ tibi placent, efficias, sed vt ei pareas, qui tibi ouium ratione præditarum curam & gubernationem commisit. Sic enim loquitur per Ezechielem prophetam: Væ pastoribus Israel, qui pascebat semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebimini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, nõ consolidastis, & quod ægrotum nõ sanastis. Et quod fractum est, non reduxistis. Et quod perierat, nõ quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo, quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Nõ erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quòd nõ esset pastor. Neque enim quaesierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant, propterea, pastores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam,

34 Hoc ex loco facile potest intelligi, quantum illi periculum immineat, qui superbe & negligenter subiectos regit. Quamobrem, qui aliis præest, & peritissimus esse debet, & omni studio salutis subditorum consulere, & singulorum incessum, & gestus, & habitum considerare, & corrigendo quæ minus decora & con-

G



DE VITA SPIRITALI

uenientia videbuntur, ad optimū ea statum, formāq; redigere. Magistri enim nō solum elementorum figurarum discipulis ostendunt, sed minima etiam puncta di-
stinctionesq; docent. Ita praefecto, nihil quantum minimum, quod ad salutem spectet est omittendū, quin fratribus indicet. Doceat etiam, quae sint parata supplicia negligentibus, ut eo tanq; muro culpam ab innocentibus arceat q̄ longissime. Lupi enim cum studio & vigilantia pastoris animaduertunt, ab ouium gregibus aufugiūt. Nihil aequae iuniorum animos ad salutem & labores accendit, ac si doctorem viderint opere & exemplo ad virtutem cohortari. Me ipsum intuemini, atque ita facite.

35 Nos verō, qui discimus, & aliorum imperio subiecti sumus, ad parendum prompti esse debemus, & ab omni contumacia alieni, coram Deo, atque hominibus semper modestiam & humilitatē amplectentes. Quod si nobis praefectus & magister contigerit, qui virtutem verbis tradat, factis autem negligat, caueamus, ne ex ea re Diabolus ad euertendam animā nostram rapiat occasionem, sed verborum illius memores simus, qui, super cathedram, inquit, Moysi sederunt scribae & Pharisei. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera verborum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.

Matth.
23.

Aba. 2.

Matth. 23.

36 Caue, ne proximo tuo scandalum vnq; aut offendiculum parias, minas illius veritus, qui sic loquitur per Prophetam: Ve qui potum dat amico suo, mittēs fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem eius. Et rursum haec dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietem & hircum. Nonne satis erat vobis pascua bona depasci. Insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcabit pedibus vestris, & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, Et oves meae is, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pasciebantur. Et quae pedes

DE VITA SPIRITALI 50

vestri turbauerant, haec bibebant. Propterea haec dicit Dominus Deus ad vos. Ecce ego ipse iudicabo inter pecus pingue & macilentum. Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras, saluabo grege meum, & non erit ultra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus. Nimum igitur nobis ne placeamus. Ex amore enim sui ipsius, tanq; stolones quidam, vitia pullulant. Sed amorem proprium expellit charitas, quae pariter diligit omnes atque complectitur. Magna enim ac pretiosa res charitas est. Ab hac tu ne exideas, diligenter caue. Propriis parcamus membris, proximo nostro virtutis exemplar nos proponentes in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in subiectione, in humilitate, in timore Dei. Ne permittamus a pessimis nos abstrahi voluntariis, sed labores spiritus amplectamur. Deliciae enim & animi remissiones optimae viuendi rationi sunt aduersariae.

37 Per viam angustam atque asperam incedamus, cordis contritionem diligentes, ut mortis memoria semper nobiscum maneat, & a damnatione liberi simus. Vae, inquit, vobis, qui ridetis, quia lugebitis & flebitis. Beati qui lugent, quia consolabuntur. Inclinemus nos, & oculos in sepulchra deiiciamus, & naturae nostrae mysteria cognoscemus. Confusus ac permixtos ex cadaueribus ossium acervos, & caluarie carnis exuta intuebimur. Haec perspicientes nos ipsos in illis tanq; in speculo contemplabimur. Vbi iuuentutis flos, & pulchritudo? Vbi decorus ille generum color? His cogitationibus carnis cupiditates repellamus, ne in resurrectionis & iudicii die confusi erubescamus. Infirmi-
mitatis meae, quae so, memor esto in orationibus tuis, te ipsum minimè negligens, ut mei, qui vermis putredoq; sum, recorderetur Dominus Deus, meq; a supplicis, quae peccatoribus debetur, creptum paradisi de-

Luc. 6.
Matt. 5.



DE VITA SPIRITALI

licius dignum efficiat. Quoniam ipſius eſt benignitas ac bonitas, & miſericordiæ eius ſuper omnia opera illius. Amen.

38. Frater quid em narrabat hanc rem, quam ab al-
ro fratre audiuiſſe ſe aiebat. Homo quidam erat in
quadam ciuitate, qui mercenarium quendam apud ſe
habebat, cui ſua credebat omnia. Huic ſolitariae vitæ
complectendæ cupiditas inceſſit. A quo quidem pro-
poſito iuuenem frugi & rebus ſuis vtilem vt deterre-
ret, herus nihil propè reliquit intentatum. Sed fru-
ſtra laborè ſuſcepit. Iuuenis enim mundo renuntians
ad Fratres ſe contulit. Verùm paucis poſt annis ad
mundum redire tentauit, relictaq; cellula ad herum
ſuum reuerſus eſt. Hic iuuenem ſemel atque iterum
libenter ſuſcepit. Tertio frater, depoſita ſimulationis
perſona, cum animi ſui ægritudinem homini detexiſ-
ſet, vitæ, in quiens, ſolitariae iugum amplius ferre nõ
poſſum. Quamobrem obſecro te, Domine, vt me reci-
pias, eodemq; habeas numero, quo olim habebas. Spe-
ro enim me rectius etiã, q̃ antea rationibus tuis con-
ſulturum. Ex te nanque acceperam, velle te mihi ſoro-
rem etiam tuam vxorem dare. Cui ille reſpondit: ſi
Deo, quæ promiſeras non præſtititſti, quomodo re-
mihi præſtiturum ſperem? Quibus verbis tanq̃ ver-
beribus iuuenis caſtigatus ad cellulam ſuam ſeſe rece-
pit. In laboribus igitur perferendis ne deſatigemur.
Scriptum enim eſt: Qui ſeminãt in lacrymis in exul-
tatione merent.

Pl. 125.

39. Ad obſeruanda mandata Dei conſtantiam adhi-
be: diligentiam autem ad inimici conſilia fugienda.
40. A pernicioſis congreſſibus & familiaritatibus ſa-
pienter abſtine, vt homo interior bene conquieſcat.
41. Caue propoſito fraudulentus exiſtas & acerbus,
ne cum tibi videberis firmus ac ſtabilis corruas &
decipiaris.
42. Manſuetudinem ac lenitatem amplectere, ne ſine

DE VITA SPIRITALI 51

vino ebrius fias, dum arrogantia atque iracundia ple-
nus intumeſcis.

43. Ne ſis voluptarius & contemptor, ne propter te
Deus vituperetur.

44. Noli cum ſcurris & hiſtrionibus verſari, ne rec-
tus animi tui ſenſus corrumpatur, ſermones enim
ipſorum ſunt valde fallaces. Ea nanque fieri a ſenibus
ſingunt, quæ ſunt iuuenum propria. Iuuenes verò ad
vitia & flagitia pertrahunt.

45. Conſilia fuge hominum improborum, qui ſe tum
ventris, tum eorum, quæ ſub ventre ſunt, cupiditati-
bus addixerunt.

46. Diligere non poteſt meretrix hominem a libidi-
nibus abhorrentem, nec fur eum, qui ab inferenda ini-
uria eſt alienus. Similibus ac paribus quiſque dele-
ctatur.

47. Voluptatem noli dulcem exiſtimare, ne doloris,
qui ex ea proficiſcitur, haurias amaritudinem.

48. Expecta quotidie vitæ finem, & ad iter illud te pa-
ra. Qua enim hora minime putas, mandatum affere-
tur. Væ autem illis, quos tunc imprudentes opprimit
& imparatos. Cordis compunctio eſt curandis homi-
num animis medicina.

49. Qui luctum amplectitur, haud facile peccabit, &
qui cordis vacat compunctioni, non cogitat malum.
Ex compunctione naſcitur fletus, in fletu autem a ma-
lis temperamus.

50. Quære, qua ratione ſuperes voluptates, & a re-
bus abſtine ſuperuacaneis atque inutilibus. Hoc ex-
pedit ſtudio, quod proſiteris.

51. Libidinis vitium expelles, ſi orationi aſſidua in-
cumbes & ſobrietati. Si mentem a malis cogitationi-
bus cohibebis. Si nullum proferes verbum vanum, &
non neceſſarium, conſiderabiſq; nos ab eo iudice iudi-
candos, qui nullo pacto decipi, aut falli poteſt. Si ad
Dei tẽplum accedes frequenter. Si mortẽ denique, &



DE VITA SPIRITALI

extremum iudicii diem assidue cogitabis. Hæc enim gestientem intus reprimunt cupiditatem, animumq; tranquillum & quietum reddunt.

52 Operam da, vt quem tibi locum vel ipse elegeris, vel Deus dederit, in eo maneat æquo animo. Neque enim in loci mutatione aut longinquitate, sed in moderatione mentis, & animi studio situm est, vt ægritudines nostras curemus. Patientia nobis est necessaria, vt Dei voluntati obtemperantes promissiones eius assequamur. Qui vero desidia languescit, otioque distrahitur, tam procul abest a paciētia, q̄ ægrotus a bona valetudine. Non in ignauiā virtus, sed in ipsa cernitur paciētia, quæ semper vigens fouet & corroborat mentem earum rerum contemplatione, quas speramus & expectamus. Hoc enim pabulo pinguescit animus, & vires ac robur concipit, quemadmodū corpus ciborum atque epularum copia. Ab huius muneris gratia si deciderit mens, vere inops ægraq; redditur. Animum igitur a rerum terrenarum cupiditatibus abducito, & in diuinarum meditatione cōtineto. Quod si feceris, non erit necesse, vt corpus de loco in locum transferas, & temere ac sine Præfectorum licentia peregrinationibus defatiges. Regnum enim cœlorum intra vos est.

Luc. 17.

53 Vbi cūque fueris, te nemini grauem, sed oibus irreprehensibilem præbe, vt bene in Dño proficias. Quod si contēptor euaseris, vide, ne in te actionū impiarum auctore & ducē a præstantiore contēptio refundatur.

54 De proximi progressu gratulari & gaudere perfectiōnis indicium est. Angi aut ob bonam alterius famā & p̄bitatē naturę signū est pessimē & improbisimē.

55 Cum salus tua non inde pendeat, q̄ hic aut ille excidat a salute, aut q̄ a regno cœlorum excludatur multi, cur proximi proficientis gloria cruciaris? Tibi ne soli paratum est gaudium paradisi, quod aliorū salute tristis ac mœstus es? Puri amoris & sanctæ in-

DE VITA SPIRITALI 52

firmitatis opera noli inuidia & grauissima morum acerbitate commutare. Nemo te seducat, non homo, non Diabolus, non vlla in corde tuo latitans cogitatio. Nulla enim vera virtus aut stabilis esse potest, nisi charitati coniuncta sit. Siquis enim, quod quidem difficile est, oēs scientias adipiscatur, & tantam fidem obtineat, vt, quemadmodum inquit Apostolus, montes transferat, charitatem autē non habeat, nihil illi proderit, sed a recta semita, quæ ad cœli portas ducit, abest q̄ longissime. Quocirca multis lacrymis indigemus, vt ab odio, & inuidia, & superbia, atque omni diabolica luoris macula abluamur. Afectionis enim est dæmoniacæ progressu recte viuientium exerceari. Siquidem Dæmones odio imbuti nihil æque cupiunt, q̄ omnes homines pœnitentia interire. Sancti autē Dominum suum imitantes exoptāt omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Nam charitate pleni æque ac seipsos proximum diligunt. 56 Si continens es, continentia tua ne extollaris, sed cum humilitate Deum ora, vt ad finem vsque sit custos tuus. Sæpe enim fit, vt repentinus bestiarum impetus vniuersum vineæ a custode derelictæ fructum excutiat & corruptat.

58 Si diuitiis abundas, noli superbus esse. Nondum enim es a periculis & insidiis liber. Nam propter cecleres & dubias rerum vicissitudines incertus est earum vsus. Vidi, inquit ille, seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.

58 Si membris integris & valentibus flores, noli corporis robore & viribus gloriari. Sed considera quot & quanta corpori pericula immineant. Quos enim cernimus morbis grauissimis laborare, siue membro sint aliquo mutilati, siue ab immundis spiritibus vexentur, haud ita affecti ex matris vtero p̄dierunt. Sed qui heri florida vigeat ætate, hodie acerbissimis incommodis affliguntur. Quamobrē cogita fieri posse, vt

1. Cor. 13.

1. Tim. 2.

Ecc. 10.



DE VITA SPIRITALI

paulo post in eisdem ipse quoque incidas calamitates. Cum igitur in alio morbum aut ærumnam aliquam perspiciamus, in eo nos tanq̄ in speculo contem-
plemur. Nescimus enim, quid dies crastina sit allatura. Multis profectò doloribus & calamitatibus corpora nostra sunt obnoxia. Quare propriæ confessi conditionis & infirmitatis a superbia & crudelitate abhorreamus. Et mutua nos humanitate & commiseratione complectentes creatorem nostrum, qui nos egritudinibus tum afficere, tum liberare potest, nobis conciliemus, propitiūq; reddamus. Quannis enim exiguum ad tempus corpus nostrum firma sit valetudine, tamen quid posterior partitura sit dies, ignoramus.

59 Peccatorem ne despice, & innocentē noli ad peccandum prouocare. Vtrunque enim perniciosum & execrandum. Quod si te vtrique vtilem vis exhibere, te illis bonorum operum exemplum præbe, flumina lacrymarum effundens in conspectu Dei, vt & in peccatis iacentem excitet, & stantem a peccato proflerni minime permittat. Vnus enim est iudex, qui seruare potest & perdere.

60 Hominum stantium & sese psalmis ad pietatē exercentium cærum noli cogitationum arrogantia inflatus perturbare. In Deum enim peccare graue est & exitiosum. Porrò prophetarum spiritus Prophetis subiecti sunt. Non enim confusionis est Deus, sed pacis.

1. Cor.
14.

61 Cum sis adolescens, silentium & diligentiam cole. Diligentia enim te gratum conseruat. Silentium autem animæ lucem tuetur, nec splendorem eius tenebris obrui sinit.

62 Semper & in omni actione comes tua sit humilitas. Quemadmodum enim corpus, seu calor, seu frigus sit, indiget vestimento, sic & anima. siue prosperis fouemur rebus, siue vrgemur aduersis, semp eger habitu humilitatis. Quam præclara atque excellens

DE VITA SPIRITALI 53

possessio sit humilitas, facillè norunt ii, qui iugū illius ferre non erubescunt. Nudus & sine calceis ingredi potius elige, q̄ humilitate spoliari. Nam humilitatis studiosos Deus ipse protegit atque defendit.

63 Quemadmodum vectores non semper in navi permanent, neque viatores in eodem semper hospitio commorantur: Ita nos in hac vita non possumus perpetuo manere. Ex quo fit, vt non secus, atque illi, nos item peregrini atque hospites appellemur. Hæc mentis oculo contemplantes paremus nos ad vitæ migrationem.

64 Cum videris te ad virtutum fastigium accessisse, tunc humilitatem tibi maxime necessariam arbitrare, vt fundamentis integris ac firmis, quod super structum est ædificium non corruat, sed tuto consistat.

65 Qui proximo suo foueam parat, incidet in eam: Pro. 26.
Et qui præceptorī suo laqueos tendit, scelestus atque impius est, eodemq; dignus supplicio, quo is, qui bene de se meritum ac magistrum suum in manus prodidit iniquorum.

66 Mundo deditum atque addictum hominem non coma aut vestimēta reddunt, sed mali mores, & propensio ad prauas mundi cupiditates. His enim animus inquinatur.

67 Monachum facit non habitus, aut tonsura, sed cœleste desiderium, & diuina conuersatio. His enim optima vita declaratur.

68 Ante tentationem, ne te magnum esse aliquid putas. Tentatio enim eos etiam sepe deiicit ac proster-
nit, qui sibi videbantur stare.

69 Ante tentationem quanta virtute sis præditus scire non potes. Quamobrem præmuniendus est animus, & aduersus tentationis impetum vigilandum.

70 Vt in fornace aurum & argentum ignis explorat, sic in tentatione probantur mortalium ani-
mæ.



DE VITA SPIRITALI

71 Auxilio Domini confisi tētationibus ne succumbamus, sed ad cœlestis vocationis brauium in Christo strenue cōtendamus, coronat enim Dominus omnes diligentes se.

72 Si membra tua contegis, ne nuda & aperta ab aliquo videantur: Caue vicissim, ne tu quoque nuditatem cuiuspiam conspicias, ne species aliqua minus honesta resideat & imprimatur in mente tua.

73 Si charitatis officio fungens oleo inungis ægrotantem, oculos, & manus, ac linguam tuam obserua, ne vlla in re modestiæ terminos transilias. Id enim pietas requirit.

74 Membris alterius manum adhibe cum tremore, non aliter ac si res sanctas attingas. Etenim verè sanctum est templum Domini & admirabile in æquitate. Nescitis, inquit, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Siquis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Tēplum enim Dei sanctum est, quod est is vos. Quæ cum ita se habeant omni cura ac studio cor nostrum custodiamus.

1. Co. 3

75 Caue a nimia iuuenum cōsuetudine. Multi enim corrupti sunt, & contempti, ac stulti euaserunt.

76 Quieti & somno tantum tēporis impende, quantum cogit ipsa necessitas. Quies enim diuturna corpus emollic, & libidinis ignem facile accendit.

77 Qui in lectulis aureis, & eburneis, pretiosisq; lapidibus exornatis molliter cubant, beatos appellant eos, qui honestis & gloriosis laboribus vacant, licet nequeant illos imitari.

78 Omnes actiones tuas eo dirige, vt placeas Deo. Hæc enim nisi aderit cogitatio, inanes erunt labores tui.

79 In hoc exiguo vitæ curriculo labores amplectere, vt quietem perpetuam assequare. Labor enim abit Præmium autem erit sempiternum.

80 Si bonis abundas operibus, cur honestæ ex hac vi

DE VITA SPIRITALI 54

ta migrationis affligit te cogitatio? Qui diuitis onustus est, lætus in portum contendit, vt in patria cum amicis suis conquiescat.

81 Lucri causa ne tentes amicum tuum, ne incidas in peccatum, cogita illud, quod scriptum est, nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Iniqui enim regnū Ro. 12. Dei non possidebunt.

82 Non ad accipiendum, sed ad largiendum prompta sit manus tua. Quoniam, vt ait Dominus, Iesus, beatius est dare, q̄ accipere. Act. 20.

83 Patiens esto, vt multa abundes prudentia. Eximium enim donum est patientia. Quippe quæ iracundiam, & furorem atque arrogantiam expellit, & animæ pacem parit ac tranquillitatem.

84 Si ex militia fugacem & floris instar cadentem gloriam assecutus es, eaq; cogitatio auertit animum tuum a recto proposito, caue, ne succumbas, sed honestos labores ad finem perferto, ne Dei nomen per te vituperetur ab infidelibus, qui, Deus, inquit, ipsam seruare non potuit. Verum, vt ait Dominus, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Ac terrenis quidem Regibus militantes, cum præclara pro illis aduersus hostes facinora ediderint, meritis præmiis afficiuntur, nempe gloria quadam breui & inani, & aliquo corporis commodo, quod enim maius tribuant: habent nihil. At illi, qui strenue se gerunt, & fortiter pugnant aduersus immundos & improbos spiritus, cum militiæ cœlestis Angelis numerantur, & gaudium illud percipiunt, cuius non erit finis. Matt. 5.

85 Si vel in cornobio, vel in solitudine vixeris, ea, quæ a nobis requiruntur, diligenter cura, id est, cor mundum, & spiritum contribulatum. Hæc enim qui possidet, non negligetur a Deo. Qui autem ea contemnunt, magnum adeunt periculum.



DE VITA SPIRITALI

86 Noli verborum copia, & linguæ suauitate gloria-
ri, sed vt Apostolorum Domini Discipulus simplex
orationis genus sectare. Nam externa sapientia glo-
riari christianis hominibus interdicitur est. Qui enim
1. Co. 1
gloriatur, in Domino gloriatur.

87 Splendidis vestimentis ne gloriaris. Recordare
quomodo pellicibus ouium Helias indutus fuerit, &
Esai. 20. sacco Esaias propheta. Vade, inquit, & solue faccum
de lumbis tuis, & calciamenta tua tolle de pedibus
tuis. Quali etiam veste Ioannes Baptista vteretur,
noli oblitisci. Proinde vestium splendore ne sis con-
spicuus, sed bonorum operum tuorum splendor lu-
ceat coram hominibus, vt Dominus ab omnibus
collaudetur.

88 Cum de fide disputas, considera, vtrū habeas ope-
ra fidei congruentia. Nam si dicēdi tantum & audien-
di studiosus es, illud in te iacietur, quod scriptum est:

Iac. 2. Vis scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus
mortua est? Profecto enim mortui sunt omnes, qui
Deum se nosse profitentur, factis autem negant, cum

Tim. 1. sint, vt ait Apostolus, abominati, & increduli, & ad
omne opus bonum reprobi. Tu igitur summissē de te
atque humiliter senti, ne in sublime elatus, turpiter
decidas. Quotidie supplex ad Deum clama. Pone, Do-
mine, custodiam ori meo, & osium circumstantiæ la-
biis meis.

Psalm. 140. Ne declines cor meum in verba malitiæ ad
excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus
operantibus iniquitatem. Lingua enim eorū est mem-
brum exiguum, & magna molitur.

89 Bonorum direptiones, & tormenta, & mortis mi-
næ de constantia gradu multos deiecerunt. Alii vero
per hæc fortitudinis coronans sunt consecuti.
Nonnulli auaritiæ causâ proditores euaserunt. Ob
inanem gloriam quidam aspernati sunt veritatem.
Multi libidinis œstro concitati nequitia succubue-
runt. At illi mortis habentē imperiū, hoc est, Diabo-

DE VITA SPIRITALI 55

lum superant, qui Christum in se ipsis semper habēt.
Nam victoria nostra Dominus est. Quamobrem siue
in bonis operibus proficis, arrogantia ne extolla-
ris. Siue in multis te deliquisse sentis, ne desperes de
salute tua. Beatus ille est, non qui bene coepit, sed qui
ad finem usque sine crimine peruenit. Itaque ne de-
mus nos inertie per totum diem, sed hora saltem un-
decima bene operemur, ut nos item efficiamur digni,
qui de manu Domini denarium accipiamus.

90 Si quem nactus eris discipulum, qui negligentia
sua religionis iugum abiiciat, noli turbari, neque tri-
stitie locum prebe, ut mens tua grauius excrucietur,
ne & teipsum ledas, & ei nihil prosis. Cogita, qualis
fuerit ramister Elisei prophete. Quod si ad malitiam
ingentem deuenit, cum tibi in memoriam redige,
qui ex Apostolo proditor factus est. Quis adeo stul-
tus atque impius existat, ut peccati causam precento-
ri ascribat, ac non potius improbe discipuli volunta-
ti? Libero enim preditum arbitrio Deus hominem cō-
stituit. Itaque tum premia, tum supplicia sunt propo-
sita. Recte quidem uiuentibus honor & gloria; secus
autem poema & ignominia. Est enim peccatum ad
1. Io. 5.
mortem. Mortem autem sibi struit, qui in malitia per-
seuerat, nec a uita prauē instituta ad optimam se con-
fert uiuendi rationem.

91 Cum a lectione rerum diuinarum te senseris ab-
horrere, & spiritu alia precepta contemnere atq; asper-
nari, animum tuum scite grauem in morbum incidisse.
Id enim est initium temperatis, qua qui exortant,
mortis fructum colligunt.

92 Qui fabrilem artem exercent, non puluerem, nō
fuliginem, aut fumum respuunt, nō mallei strepitum,
aut ignis ardorem execratur, sed rudem ferri massam
diligenter assiducq; tundentes uasa humanis uisibus
commoda inde conficiunt. Quamobrem ne nos qui-
dem defatigemur ad uirtutem ac pietatē nos mutuo



DE EXERCITATIONE

cohortantes, pretiosum a uili separemus: dignique uocatione illa & gloria cœlesti efficiamur scriptum est enim: Si pretiosum a uili separeaueris, quasi os meum eris. Et beatus, qui semen habet in sion, & domesticos in Hierusalem.

93 Diuinis laticibus irriga animam tuam, ut trigenas ac flores in iustitia fructum ferat. Oportet enim nos persequi anime utilitatem, quemadmodum animalia terrestria, plantas herbasque depascunt. Anima enim corroborata firmitus ad ferendos labores corpus efficitur. Anima uero a turpibus cogitationibus debilitata corpus item a malitia corrumpitur. Quamobrem beatus qui recte hic disponit ac moderatur ea, que uite sunt propria, quoniam diues ad uitam perueniet immortalē, qua utinam omnes potiamur, precibus eorum nos commendantibus, qui Domino nostro Iesu Christo placuerunt. Amen.

De exercitatione.

QVI te ad uirtutem ac pietatem exerces, attende tibi, & caue, ne dies tuos in rebus inanibus consumas, neue prauas in animo tuo foueas cogitationes, quibus uis & robur ipsius in bello, quod cum inimico geris, hebetetur. Dulcis Domini Iesu memoria, o iuuenis, fixa semper inhereat in mente tua, ut exercitationis tue cursus palme coronam accipiat. Tempus enim instat, & appropinquat dies, in quo qui strenue labores pertulerint, premia consequantur. Inertes autem & ignauie dediti, in dedecus & ignominiam incurrant. Dum uacat, & licet, uirtutes amplectere. In oculis tuis perferatur pudor, in auribus ueritas, uerba uite in lingua tua, egrotantium uisitatio in gressibus tuis, imago Domini tui in corde tuo, in mēbris omnibus continentia, ut ab Angelis & hominibus collauderis. Nam si lignum inanimatum, propterea quod

DE EXERCITATIONE 56

Regis aut principis imaginem exprimat, honoratur, quanto magis honorabitur anima, que in seipsa Deum habet in hoc seculo & in futuro? Attende igitur tibi, fili charissime, & hæc diligenter considera. Cupiditas per se mortua quedam res est, corpus autem uelut uita. Caue igitur, ne id, quod uita est, rei mortue uitam prebeat. Nam si ei uitam dederis, interficiet te. Orem miseram & lacrimabilem. Ut, quod mortua est, si uitam accipit, occidat id, quod uitam prebuit. Quod cum ita sit, quomodo fiat, intellige. Cupiditas per se sine corpore mortua est. Cum autem impetus eius ad corpus accedit, statim uitam accipit. Animus enim cupiditatis dulcedine delectatur. Atque ita ex re quondam mortua ad uitam mors proficiscitur. Quamobrem omni studio caue tibi a corpore mortuo in incendio cupiditatis eius. Obice menti tue ignem illum inextinguibilem, & uermem illum, qui non habet finem, & renem inflammatio cœlestim extinguetur. Vide, ne te facilem ac lenem cupiditates inueniant, ne mox negligentiam tuam dolor occupet afluasque tum peccare, tum resipiscere. Ab initio potius grauis ac seuerus esto aduersus omnem cupiditatis titillationem. Et ne afluas in bello inferior esse. Consuetudo enim est altera natura. Et lenitudinis facilitas procul abest a grauitate. Semper enim edificat, & destruit. Semper peccat, & resipiscit. Fili charissime, si per consuetudinem te facile uinci patieris, mollities tua tibi erit ignominie sempiternæ. Qui uni cuiquam cedere consuevit cupiditati, perpetuo cōscientie stimulo pungitur ac cruciatur. Et quæ uis eorum hominibus hilarem uultum prefererat, cōscientie tamen facibus inens uritur, ac tristis est. Eamque cupiditatis natura est, ut obsequentibus sibi dolorem afferat. O anima, que in te Christum habes, attende tibi, tibi ipsa uaca. Immortalis est, anima, Christus sponsus tuus. Verum sponsum tuum dese-



EORVM CORRECTIO

ras; caue, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni iustitie pulchritudine remotissimum. Exiguum enim ad tempus se fingit diligere, mox autem deserit, quippe qui impurus aliculter est. Cum alicuius vires facultatesque consumperit, ei se statim inimicum profiteretur. Proh dolor, inimicus noster cum uim tempusque nostrum in immunditia foedissimisque cupiditatibus suis contriuerit, tunc odii sui uirus effundens, nos derelinquit. Nec mirum. Neque enim unquam scelestus atque improbus ille nos amauit.

Eorum correctio, qui cum uisiose uiuant, honores petunt.

A. 13. EXCRUCIOR, fratres mei, & contremisco, atque dolore conficior, dum illa Prophete uerba confidero: Videre contemtores, & admirari, ac disperdimini. Id autem accidit mihi propter ignorantiam meam. Omnem enim uiam iniquitatis ingressus sum. Et singula membra mea peccatis omnibus inimicus obstrinxit. Debebam equidem me ipsum affligere, & turpitudinem meam deplorare, deinde pro alijs esse sollicitus. Debebam prius ex oculis meis trabem excindere, deinde festucas aliorum uidere. Verum contemptus, qui uiget temporibus nostris, me angit ac stimulat. Video enim negligentiam discipline, quam **Ps. 118** ferre nequeo, sed doleo cum Propheta dicente: Vidi preuaricantes & tabescebam. Que enim arma nobis non intulit aduersarius, quas fraudes, quos dolos, quas machinas non admouit? Hei mihi, quis impendentes nobis calamitates non reformidet? Attendite, obsecro, que dicam, qui uitam hanc sustulistis, & contremiscite. Angelorum ferentes habitum cum Diabolo militamus. Habitus est angelicus, sed uita secularis. Num inter Angelos contentio uiget ac zelus, quemadmodum nunc inter monachos uernimus? Radices in ipsis egit inuidia, & zelus, & obrectatio. Varia sin-

gulis

EORVM CORRECTIO 57

gulis pocula miscuit hostis astutissimus. Arte studet ac dolo singulos supplantare. Hic, inquit, diligenter ieiunium obseruat, sed zelo & inuidia superatur. Ille sese a foeda libidine continuit, sed inani uictus est gloria. Alius nauiter uigilauit, sed irretitus est obrectatione. Alius a detrahendi uitio liber est, sed inobedientia & contumacia plenus. Alius a cibis abstinet, sed in tumore atque arrogancia immerisus est. Alius in oratione fortis est, sed indignationi iracundieque succumbit. Alius paululum proficit, sed despiciit negligetiores. Alios denique alio pacto malitia deuincit, & non est, qui intelligat. Ex quo contentiones & rixae inter monachos oriuntur. Hei mihi, quis non ingemiscat? quis non lugeat? Quomodo disciplinam hanc angelicam confundimus. Mundum reliquimus, sed que mundi sunt sequimur. Possessiones reiecimus, & a contentione non desistimus. Domos deseruimus, & carum sollicitudine quotidie contabescimus. Non adsunt diuitie, sed adest superbia. Nuptias contempsimus, sed a stulta dilectione non discedimus. Humilitatem simulamus, sed animo honores concupiscimus. Inopiam pre nobis ferimus, sed abundantia laboramus. Ore paupertatem extollimus, sed occulto auaritie morbo detinemur. Quis igitur uicem nostram non deplorat? licet enim monachorum instituta & iuniorum prefertim uidere atque admirari. Nodum mundo renuntiauerunt, & iam superbia tument. Nondum habitum sunt assueci, & iam insolescunt. Nodum disciplinam audierunt, & iam se magistros profitentur. Nodum uestibulum aspexerunt, & iam penetralia cogitant. Nondum primum gradum ascenderunt, & uolitant super nubes. Nondum exercitationem gustarunt, & iam inani gloria sunt instructi. Nondum primam discipline uocem perceperunt, & tanquam magistri iam alios increpitant. Nodum fratrum societati sunt ascripti, & iam sibi uindicant auctoritatem. Nondum mo-

H



EORVM CORRECTIO

nafterii fores sunt ingrefsi, & iam alios corripunt, reprehendunt, atque castigant. Verum quid singula perfequor? non est intelligens, non est, qui propter Deum mundo renuntiet, ut obediendo seipsum fratribus seruum exhibeat. Sed si reprehendatur, seipsum excusat. Siquid præcipiatur, detrectat imperium. Quæ bona sunt, non imitantur, & quæ sunt inutilia, complectuntur. Vix tertius est dies, ex quo mundo renuntiarunt, & cum illis, qui in habitu consenuere, contendunt, nec uolunt in ordinem redigi, aut cuiquam obtemperare, sed excusationes excogitant, & ne corpus fatigent, alius alium respicit. Subiit obedientiæ iugum, & uult imperare irascitur, si admonetur. Hoc facito, frater. Nô faciam, respondet, nisi ille ueniat. Ille scripturarû incumbit meditationi, & ego incumbere debeo. Sæpe qui domi suæ operarius fuerat, & ignorabat, quæ ipsius esset uel dextera uel sinistra, in monasterio studiosus & interpret ac doctor incedit. Frater quiescit, & ego quiescere debeo. Frater dat operam contemplationi, & ego debeo sublimia contemplari. Frater ad honorem prouectus est, cur non ego? Frater utitur patrum familiaritate, cur ego nô utar? Illi commissus est magistratus, cur non etiam mihi? Nonne ego quoque hoc, atque illo dignus sum munere? Hæc sunt egregia iuniorum opera, hæc ministrorum humilitas, hæc labor, hæc studia, quibus se regni cælestis hæreditatem adepturos sperant. Nô animaduertunt, inde animæ interitum proficisci. Non uident propterea se Dei inimicos euadere. Ex his planè constat, nos ne exiguum quidem ad tempus mundi consuetudini renuntiasse. Mundo specie duntaxat renuntiauimus, re autem ipsa, quæ mundi sunt, amplectimur. Faceat mendax excusatio. Habitu monachi sumus, moribus crudeles quidam & inhumani. Habitu humiles, moribus pestilentes. Habitu religiosi, moribus perniciosi. Habitu dilecti, moribus inimici. Habi-

EORVM CORRECTIO 58

tu chari, moribus in uisi. Habitu studiosi, moribus ignaui. Habitu sobrii, animo pirata. Habitu pudici, corde adulteri. Habitu modesti, corde gnathones. Habitu mites, moribus arrogantes. Habitu cõsolatores, moribus cõtumeliosi. Habitu cõsiliarii, moribus detractores. Habitu simplices, moribus improbi. Habitu innocentes, moribus homicide. Habitu defensores, moribus proditores. Cur aut tales sumus, nisi quia mutuâ inter nos charitatè perfectâ non habemus? Nisi quia Dei timor in nobis nô est? Quia diuina uerba contemnimus, & arbitrato nostro ea torquemus, ac nugas existimamus? Verbo Dei cæli firmati sunt, & nos ipsum ne ut Psal. 30 fratrem quidem suscipimus. Ore ille suo terribili ac formidando locutus est, qui uult, inquiring, inter uos esse primus, sit omnium ultimus & minister. Nos uero cum uix habitum induerimus, insolescimus, & unus aduersus alium extollimur, & uicissim insultamus, & apud nos ipsos omnes prudentes sumus. Omnes duces esse uolumus, omnes præse, omnes imperare, omnes reprehendere, omnes præcipere, omnes docere, omnes interpretari, omnes esse doctores, omnes domini, omnes procuratores, omnes patres familias, omnes primi, omnes secundi. Cum tamen Apostolus dicat. Si totum corpus auditus, ubi odoratus? Si omnes primi, si omnes duces, si omnes præceptores, ubi diuinae dispositionis ordo ac differentia? Eum saltem audite, qui dicit. Nemo assumit sibi honorem, nisi uocatus a Deo. Et rursum: num omnes doctores? Accirco principatus & potestates constituit Deus. Si enim in cælis, ubi omnes incorrupti, & immortales, cum spiritus sint ministrantes, noluit Deus unicum esse ordinem, sed principatus, potestates, dominationesq; constituit, & nemo a præscripto sibi ordine recedit, sed illum seruat, cur mutuas inter nos contentiones exercemus? Angeli & Archangeli non transiliunt impera. Nos autem inuicem collidimur, unus aduersus al-

1. Co. 12

Heb. 5.

1. Co. 12



EORVM CORRECTIO

terum insurgimus, nos vicissim antecedere studemus alios cōremimus, atque deprimimus, vt plus aliquid posse uideamur. O mentis cæcitas, qua non paremus dicenti: In qua quisque uocatione uocatus est, in ea maneat. Cur enim non metuunt, qui dicit: cui multum commissum fuerit, ab eo multum repetetur, ut eo saltem modo ad humilitatem deducantur? Quæso, fratres, ne uitam nostram in hac uanitate traducamus. Non est bona gloriatio nostra. Ne sic abiiciamus timorem, tanquam formidandum illud iudicium non subituri. Ne sic uiuamus, tanquam haud ita seueræ rationem reddituri. Cauemus, obsecro, ne proximis offendiculo & scandalo simus, ne peccatis peccata cumulemus. Ne præclarus habitus noster uituperetur, sed potius laudetur. Veniet enim, ueniet, & nõ tardabit dies illa terribilis, in qua interrogati nullam inueniemus responsionem. Quid enim poterimus respondere? Quid est, quod nobis facere potuit, & non fecit? Nonne ipsum Deum uerbum humilem uidimus, ut nos quoque humiliemur? Nonne sanctam eius faciem spiritus cōspersam aspeximus, ut nos item illatas nobis contumelias & iniurias perferamus? Nonne tergum ipsius flagellis cæsum agnouimus, ut nos præfectis nostris pareamus? Nonne os eius alapis a seruo contusum uidimus, ut nos item contemni ac despici patiamur? Quid? non audiuius ita loquentem? Ego autem non repugno nec contra dico, ne inobedientes, aut contumaces simus. Nonne sic eum dicentem audiuius? Ego autem a me ipso facio nihil: ne simus audaces, & arrogantes, & nostri iuris. Nonne audiuius sic adhortantem? Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, ut nos quoque mites atque humiles simus? Nos uero nobis inuicem inuidemus. Mordemus nos inuicem, ac deoramus. Quam igitur apud illum defensionem inueniemus? Obsecro, fratres, ne sinamus nos ita carnis perturbationibus uin-

I. Cor. 7

Luc. 12.

Mat. 11

EORVM CORRECTIO 59

ci, vt æternam beatitudinem amittamus. Ne propter caducum honorem gloria spoliemur sempiterna. Ne propter contentionem & zelum, & inuidiam in gehennam illam horribilem detrudamur: semel saluari studes? Quid ergo in proximo iudicâdo curiosus es? Semel iugum subiisti? cur illud abiicis? Operanda, ut obedientiæ tuæ fructus appareat. Neque auctoritate mihi crede, neque magistratu, neque amplitudine, neque quod primus, aut secundus, aut præfectus appelleris, neque quod sis in ullo honoris aut dignitatis gradu constitutus, propterea fiet, ut in regnum cœlorum ingrediaris. Hæc enim non tribuunt remissionem peccatorum, non liberant a supplicio, nisi adsit humilitas, & obedientia, & charitas, & patientia, atque constantia. Neque enim probari, aut salutem assequi possumus, nisi omnibus in rebus Dominû imitemur. Qui, non ueni, inquit, ut mihi ministraretur, sed ut ministrarem. Et rursum: Non ueni, ut facerem uoluntatem meam, sed uoluntatem eius, qui misit me patris. Et alibi: Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. An non audistis, quos ipse beatos uocet, beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Non audiuius illud: Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris? Et quomodo iubeat, in faciem arguere? Nõ audiuius illud: Qui odit proximum suum, in tenebris est? Non audiuius propter superbiam & inuidiam Diabolum & cœlis excidisse? Non audiuius, quomodo Hebræi propter cōtradictionem è terra p̄missionis exciderint? Non audiuius, quomodo Maria soror ipsius Moïsi propter unum conuicium lepra correpta sit? Cur igitur ad tot exempla tanquam aspides, non carnis, sed animi aures occludimus? Hæc enim audimus, sed illa sequimur. Cur non credimus dicenti: Qui manet in charitate, in Deo manet & Vigilemus igitur, o grex electe, dum tempus habemus. Respiscamus, dum su-

Mat. 20

Io. 6.

Luc. 18.

Mat. 5.

Psal. 49

Nu. 12.

I. Io. 4.



EORVM CORRECTIO

mus in remissione. Ne repente veniat illa dies formidanda ac luctuosa, & tunc frustra stultitiam nostram agnoscamus. Vigilemus, ne in dedecus illud ingens coram Angelis & hominibus incurramus. A vanis contentionibus desistamus. Vos autem in primis, qui vigetis adolescentia pro viribus humilitatem amplectimini, vt intelligere valeatis, quanta apud patres nostros tranquillitas fuerit, quanta diligentia, quanta humilitas, quanta frugalitas, quantus rerum humanarum contemptus, & despicientia. Nunc autem magnum adest bellum. Ne contemnatis. Nolite putare, vos ad perfectionem peruenisse. Multi pro salute labores, multa subeunda certamina. Nolite putare in cingulo & veste longa consistere vitam perfectam, aut in eo salutem esse positam, quod manus habeas mandas, quod eloquens sis, quod scripturas interpreteris, quod capite incedas raso, aut comam metrias. In uirtute, in bonis operibus sita est. Hęc autem dico, non vt habitui detrahā. Absit. Sed vt ostendam, habitui mores & opera debere congruere. Habitus enim sine operibus nihil est. Nolite vos otio desidique dederē. Magno labore inuentus est coerceda. Si verba mea vobis molestiam asserunt, meminerit non prenitet vos admonere. Satius enim est, vt vulneribus ignis admoneatur, quam permittere, vt totum corpus computrescat. Creditisne, quia morbos vestros contegitis, propterea Deum eos latere? Quę a nobis occulte sunt, ea mihi describere turpe est. Si enim illa descripero, non permanebitis, sed aufugietis. Quamobrem hortor vos, vt humilitatem, & obedientiam, & charitatem, & frugalitatem, & contemptum amplectamini. Subicite vos mutuo in dilectione, in obedientia, in ieiunio, in vigilia, in Oratione. Ne sitis fortes in contentionibus, debiles autem in Psalmis decantandis. Nolite in colloquiis esse vigiles, & tan-

EORVM CORRECTIO 60

quam serpentes aspiciere, in orationibus autem commuere & dormire. Ne sitis in ferendis nugis tauri, in laudando autem Deo vulpes. In litibus inuicti, in rebus spiritalibus oscitantes. In iocis hilares, in admonitionibus tristes. In epulis per diem sani, nocte verò in orationibus egri. In congressibus arrogantes, in operibus dissoluti. Prompti ad imperandum, ad parendum pigri. In precipiendo læti, in obtemperando mœsti. Ad iubendum acres, ad obediendum tardi. Ne manicas ad digitos, & linguam ad pectus exeramus. Ad mensam celeres, ad opus negligentēs. Malis in rebus oculati, in bonis cœci. Coram mulieribus graues, & coram fratribus feri. Obsecro vos, filii Dei, vt bonam emulationem suscipiatis. Quicquid ad modestiam, ad bonam famam, ad ædificationem spectat, complectemini. In primisque humilitatem, dilectionem, benignitatem, mansuetudinem, humanitatem. Inutilibus reiectis contentionibus vicissim cedite. Vigiliis, & orationibus incumbite, vt possitis vitia carnis superare. Cauete, ne rebus inanibus caducisque capti vera bona & immortalem gloriam amittatis. In eam, quęso, dum estis in carne, curam incumbite, vt ea, quę Deo grata sunt, perficiatis. Festinemus, curramus, magna tempestas imminet, ne simus negligentēs. Non est nobis colluctatio cum aduersariis, quos videamus. Inuisibiles sunt, & ideo magnum negligentibus periculum adest, & ingens vincentibus premium. Vigilemus igitur, & aduersus astutias ipsorum nos instruamus. Si nos ad gulam prouocant, ieiunio resistamus. Si blanda nos titillant voluptate, temperantia repugnemus. Si ad iracundiam incitant, mansuetudine armemur. Si ad odium prouocant, beneuolentiam & charitatem comple-



FORVM CORRECTIO

etamur. Si ad ambitionem, contemptum ostendamus. Si ad gloriam, abiectionem opponamus. Si ad superbiam, Domini humilitatem consideremus. Si ad æmulationem, Cain lapsum recordemur. Si ad inuidiam, Esau perniciem cogitemus. Si nos ad detrahendum impellunt, silentio os nostrum cohibeamus. Si eiusmodi rationibus repugnabimus, aufugient, nec consistere poterunt. Gratia autem ad vos reuertetur. Credite, fratres, me iis omnibus, a quibus, vos, vt abstineretis, admonui, obnoxium esse. Vos operam date, vt mundi puriq; sitis. Ego peccatis immerfus sum. Vos per bonam ac veram poenitentiam vestram me quoque liberate. Credite, me eorum, quæ dixi, nihil obseruasse. Spero vos ab omni reprehensione liberos fore. Ego verò damnatione sum dignus, qui dico & non facio. Salutem nostram, fratres, ne contemnamus. Neque putemus, quæ dicta sunt, esse commentitia. Nihil, enim quod scripturæ repugnet, aut falsum sit, pronuntiauius. Faxit misericors Deus, vt verbi sui semen suscipientes, fructum alii trigessimum, alii sexagesimum, alii centesimum, asseramus, vt nos virtutum fructibus onustos atque ornatos letus accipiat Dominus noster Iesus Christus in regnum suum, & leticia cumulet sempiterna. Amen.

De virginitate & castitate disputatio.

IMPROBUS Demon ita fratres & sorores aggredditur: Ecce tibi singulis horis caro ad libidinem commouetur. Quoultque igitur molestiam perferes, ac miser viues, & patiens eris? quoad, inquit frater, respiciat Dominus humilitatem meam, & laborem meum, & dimittat omnia peccata mea. At qui satius est, inquit Demon, quo pugne ac bello finem imponas, vt cupiditati semel indulgeas, & mox ad poenitentiam re

DE VIRGINITATE 61

uertare. neque enim graue peccatū est, aut magni ponderis. Non opus est, inquit, frater, vt abs te discam poenitentia rationem. Scio enim ego planè, homini per benignitatem Dei poenitentia locum esse vsque ad extremum spiritum. Quod autem leue peccatū hoc esse dicis, quomodo, si leui in re succubuero in conspectu Dei, non succumbam facilius, cum me tentatio maior inuaserit? Nullius momenti res est, inquit Diabolus, & mox poteris resipiscere. Ecquis, inquit frater, recipiat ac spondeat, me, si carnem meam corruero, poenitentia tempus inuenturum, ac non potius in eorum semper numero futurum, qui operantur iniquitatem? Umbra enim est vita nostra super terram. Quamobrem idem est, ac si mihi suaderes, vt gladium mihi ipse in pectus deligerem. At leuis res est, inquit improbus ille, peccatū eiusmodi, atque vna hora transigitur, neque amplius manet. Respondit frater: Audi vitæ hostis, atque impugnator animarum, quæ apud Deum proposita sint præmia illis, qui exiguum hoc temporis spatium, quod dicis, strenuè transigunt decertando, & quæ rursus iis proposita sint apud Deum supplicia atque ignominia, qui tam breui tempore superantur. Nonne castus ille Ioseph, propter ea quod vitium illud vicit, ab omnibus omnium sæculorum hominibus laudatur? contra vero Aegyptia ipsius decus est sempiternum? Nonne pudica item illa Sufanna semper apud omnes beata prædicabitur? quæ nec blanditiis allici, nec minis ac mortis periculo, vt pudicitiam proderet, potuit commoueri? At seniores ac iudicis illi, qui populum regere videbantur, libidinis vitio succumbentes lapidibus obruti sunt, æternamque nomini suo ignominia notam inuulerunt. Ignoras, Diabole, feras, quæ humanis carnibus deuorandis affuescunt, difficile ab eiusmodi cibo cohiberi? Et tu, leo rugiens, mihi conaris persuadere, me, si libidini semel indulsero, non amplius ab ea vexatum iri.



DE VIRGINITATE

Dominus Deus, qui suum hominibus largitus est spiritum, increpet te, qui tanquam leo mihi insidiaris, ut per peccatum deuores animam meam. Verum Seruator noster Christus non permittet id tibi, quoniam benignus, & potens, & misericors est. Subiicit Dæmon: Res profecto nullius momenti est. cur igitur angeris? Angor, inquit ille, quia homines decipis. Dulcedo enim tua amara est, & consilium tuum in malorum barathrum deducit, & munera tua mortem atque interitum afferunt. Suades enim mihi, ut cōculcem gratiam Domini, & tristitia afficiam spiritum sanctum, quo signatus sum in die redemptionis. Et nullius ponderis hoc esse dicis, hortarisque, ut membra Christi faciam membra meretricis, & breui momento diuitias amittam immortales. Nullius ergo momenti est, abire sanctitatem, sine qua nemo Dominum aspiciet? Quomodo in die illa formidanda, ad diuinum tribunal consistens, iustum iudicem audiam ita loquentem. Serue nequam, & voluptatis amator potius, quam Dei, libidine & flagitijs tuis terram meam coinquinasti. Nullius momenti hoc esse dicis, cum scriptum sit. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium referuari. Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euerfione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. Et iustum Lot oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii referuare cruciandos, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant. Leuem ac

1. Pet. 2

DE VIRGINITATE 62

nullius ponderis rem esse asseris? Ecquis vnquam hortatu tuo peccatis indulgens, in bonis transegit dies suos, & regnum æternum adeptus est? At illi, qui per Christi viam incedunt, semper gaudent, & lætantur in Spiritu sancto, expectantes beatam spem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi Me, si tu viceris magna affectum iri tristitia non ignoro. Tu casu meo lætus patri tuo Satanæ iucundum afferes nuntium. Ego verò, si id commiserò, in conspectu patris mei cœlestis confundar. Præstat igitur, ut tu, tanquam impudens canis, latrare non desinas, quod ut eiusmodi gaudio de me triumphes ac rideas. Miror equidem, Diabole, quod coneris hominibus suadere, ut caducam istam ac fordam voluptatem vitæ præferant sempiternæ. Dominus noster fortis & adiutor noster. Dominus refugium nostrum, & redemptor noster. Dominus protector noster, & non timebimus te. Forti igitur animo, charissimi, aduersus Diabolum decertare. Proponite vobis gehennæ terrorem, & supplicii æterni acerbitatem, ne decipiat vos astutia sua. At, dicet aliquis, quomodo intelligere possumus gehennæ supplicium? Exemplo id discere. Nonne vnquam in balneum ingressus es? Nonne vidisti illic homines nimio calore solutos in loca frigidiora transferri? At in illa flamma, qua peccatores sunt comburendi, nullum dabitur refrigerium, nullus exitus, nullæ aderunt fores, nullus splendor, nulla cura, nullus adiutor, nullus consolator, quanuis magnis clamoribus auxilium implore. Scriptum est enim, Iudicium in eos sine misericordia futurum, Quia misericordia fuerint alieni. Et non est gaudium impijs. Quid? nonne formicem ipsam vidisti, qua balneum calefit? Quem admodum illuc ligna coniciuntur, sic in gehenna peccatores igne perpetuo comburuntur. Peccata ipsorum vehementiorem in ipsos flammam accendunt. Ira enim, ut scriptum est, & indignatio, tribulatio &

Iac. 2.

Rom. 2.



DE CASTITATE

angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Iudæo primùm & Græco. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Itaque, charissimi, vigilemus, & sobrii, casti; simus apud Deum, & precationibus atque eleemosynis vacemus cum omni humilitate, dum tempus adhuc habemus, vt ab iis, quæ diximus, malis liberemur. Vult enim Dominus pro sua singulari bonitate omnes homines saluos fieri, cui gloria in æternum. Amen.

1. Ti. 2.

De castitate.

C A S T I T A T E M, frater charissime, palmæ similem puta quæ cum intus sit candida, foris vndique munita est. Omnes homines ex corde puro sunt diligendi, imprimisq; illi, qui fide nobis & pietate cõiuncti sunt. In eos autem, qui a religione abhorrent, & voluptatibus indulgent, ita seueri ac tristes esse debemus, vt prudentiam, & modestiam, ac pacem retineamus. Seruû enim Domini, vt Apostolus ait, non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant a Diaboli laqueis, a quo captiui tenentur, ad ipsius libertatem. O castitas, quæ delicias, & elegantiam, atque ornatû corporis detestaris. O castitas dapium & epularum atque ebrietatis inimica. O castitas, quæ verecundiæ fræno oculos moderaris, & totum corpus è tenebris ad lucem reuocas mandatorum Dei. O castitas, quæ carnem affligis, & in seruitutem redigis, acutèq; cœlestia contemplaris. O castitas mater dilectionis, & comes Angelorum. O castitas, quæ homines Angelis æquales reddis. O castitas, quæ tui studiosum sic exaltat in terra aliena, vt eum Dominum illorum, a qui-

2. Ti. 2.

DE CASTITATE 63

bus emptus fuerat, constitueres. O castitas Dei minus, benignitatis & scientiæ ac cognitionis plena. O castitas, portus tutus ab omni tempestate, in pace, & tranquillitate constitutus. O castitas cœlo grata & decantata. O castitas, quæ cor te possidentis lætitia perfundis, & animæ adiungis alas in cœlum. O castitas, quæ spiritus gaudium parit, & tristitiam interficit. O castitas, quæ abhorres a malo, & bono adheres. O castitas, quæ animum reddis quietum, & a perturbationibus liberum. O castitas, quæ iustos illuminas, & Diabolum confundis, celeriterque ad brauiû curris superne vocationis in Christo. O castitas, quæ desideria fugas, & patientiam affers. O castitas onus leue, quod in aquis non demergitur. Thesaurus semperiternus in anima hominis Christum amatissimum absconditum, quem, qui possidet, inueniet in tempore necessitatis. O castitas possessio præclara, quæ non vastatur a feris, & ab igne non exurit. O castitas, currus spiritualis, qui possidèrem tollit in sublime. O castitas, quæ in animis mansuetis & humilibus habitas, & homines diuinos efficit. O castitas, quæ in animæ & corporis medio flores vt rosa, & totam domû repleas odoris suauitate. O castitas comes & focia Spiritus sancti. O castitas, quæ Deû placas, & eius promissa perfers ad omnes homines. Hæc sancti omnes dilexerunt. Hanc coluit Sanctus Ioannes Euangelista, qui recubuit super pectus Domini. O castitas quæ non solum a virginibus semper exulta es, verumetiam ab iis, qui ad pœnitentiam se conuerterunt. Hanc igitur & nos seruû Dei ex animo complectamur, vt Christi spiritû in nobis habitantem lætitia afficiamus, cui honor, & gloria, & adoratio in sæcula seculorû. Amen.

Beatitudines.

1. B E A T V S, qui a terrenis omnibus vanè iustus



BEATITVDINES

vita occupationibus liber, solui Deum bonum clementemq; diligit in toto corde suo.

2 Beatus, qui virtutes colit, & tanq̄ ager fertilis vberes vitæ fructus fert in Domino.

3 Beatus, qui bonus est virtutum agricola, & spiritalem vineam ferit, & vindemians replet torcular fructibus vitæ suæ in Domino.

4 Beatus, qui spiritali lætitia perfundit conseruos suos ex fructibus virtutum, quas coluit, vt vitæ fructū in Domino perciperet.

5 Beatus, qui sanctæ communioni atque orationi tanq̄ cœlestis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo Dæmoni, vt animam suam expugnet, & abducatur a Deo Seruatore.

6 Beatus, qui studiosè & consideratè luctum querit, & lacrymas in hac vita tanq̄ pretiosas margaritas fundit in conspectu Dei.

7 Beatus, qui sanctitatem vt lucem diligit, & tenebris Diaboli operibus non inquinat corpus suum in conspectu sanctissimi Dei nostri.

8 Beatus, qui corpus suum Seruatori custodit in sanctitate, & malis operibus non contaminat animam suam, sed gratus manet in Domino Deo suo.

9 Beatus, qui ab omni abhorret turpitudine peccatorū, seq̄ hostiam viuente & Domino acceptam offert.

10 Beatus, qui semper in seipso Dei memoriā colit, erit enim torus velut Angelus cœlestis in terra cum reuerentia & amore sacrificans Domino.

11 Beatus, qui pœnitentiā diligit, quæ mater & refugium est peccatorū, nec rursus vt ingratus animū ad peccandum appulit in conspectu Seruatoris Dei.

12 Beatus, qui tanq̄ strenuus miles regni thesaurū, id est, corpus atque animam suam sine reprehensione conseruat in Domino.

13 Beatus, qui in cella sua, vt Angelus in cœlo, pu-

BEATITVDINES

64

ras & castas colit cogitationes. Et ore suo collaudat eum, qui spirituum & rerum omnium habet potestatem.

14 Beatus, qui factus est vt Seraphim & Cherubim, & in diuino sacrificio nunq̄ est piger, sed Dominum laudat sine intermissione.

15 Beatus, qui gratia spiritali semper est plenus, & suauē Dñi iugū libenter sumit. Gloria. n. coronabit.

16 Beatus, qui se ab omni peccatorum macula purum atque integrum seruat, vt cum fiducia in domū suam recipiat Regem glorię Dominum nostrum Iesum Christum.

17 Beatus, qui cum reuerentia, & timore, ac tremore ad sacrosanta mysteria Seruatoris accedit, seq̄ vitæ æternam suscipere non ignorat.

17 Beatus, qui mortem quotidie meditatur, & turpes destruit cupiditates, quæ in negligentium cordibus nidulantur, in hora enim discessus ex hac vita consolationem accipiet.

19 Beatus, cui gehennæ timor assidue ante oculos obuersatur, & qui lacrymis ac gemitibus studet per veram pœnitentiam Deum sibi propitiū reddere, ex magna enim ac formidanda afflictione liberabitur.

20 Beatus, qui sponte se semper humiliat, quia coronabitur ab eo, qui vltro se pro nobis humiliavit.

21 Beatus, qui omni cum reuerentia sedet in cellula sua, sicut Maria, secus pedes Domini: Et in suscipiendo Domino nostro Iesu Christo, sicut Martha, sollicitus est.

22 Beatus, qui Dei timore munitus semper in se Spiritus sancti flammam conseruat, qua spinas & tribulos malarum cogitationum exurit.

23 Beatus, qui malis operibus manum suam non inquinavit, vt homines profani solent & impuri, qui coram Domino in die illa tremenda iudicii condemnabuntur.



BEATITVDINES

- 24 Beatus, qui honestas ac probas cogitationes assidue colit, & spe desiderii vincit, quo quidem improbo vitio sæpe oppugnantur, qui sese in studio pietatis exercent.
- 25 Beatus qui in Dei opere tanquam generosus miles se strenue gerit, ignavos excitando, & timidus cohortando in via Domini.
- 26 Beatus, qui in agro Domini bonis fructibus abundat, ut sanctos habeat Angelos custodes, quem madmodum arbor fructifera a proprio agricola custoditur.
- 27 Beatus, qui cum prudentia spiritus amplectitur mansuetudinem, nec ab improbo serpente finit se supplantari, cum omnem suam spem in Domini clementis misericordisque præsidio sitam habeat.
- 28 Beatus qui Sanctos colit, & proximum diligit, & procul ab animo suo pellit invidiam, qua Cain incitatus fratrem interfecit.
- 29 Beatus, qui re ipsa tyrannum redarguit, & voluntatum flammis non aduritur, nam eius anima rore Spiritus sancti recreabitur.
- 30 Beatus, qui menti suæ diabolicas tenebras offundi non est passus, nec dulci luce atque iustorum lætitia priuatus est.
- 31 Beatus, qui puris cordis oculis semper Dominum intuetur. Is enim a perturbationibus & prauis cogitationibus liberabitur.
- 32 Beatus, qui bonis & honestis colloquiis delectatur, & a prauis & turpibus, quæ bonos mores corrumpunt, abhorret, quoniam minime fiet Diaboli mancipium.
- 33 Beatus, qui cum Dei timore proximum corrigit, nec decipit animam ipsius, semperque ferrea magni pastoris virgam reformidat.
- 34 Beatus, qui ex Dei præscripto paret & obsequitur proximo suo, quique res aduersas fert æquo animo, tanquam confessor enim in Domino coronabitur.
- 35 Beatus, qui se a desidioso vitio tanquam ignauus vincit
minime

BEATITVDINES

65

- minime patitur, sed patientiam constanter amplectatur, ex qua Sancti omnes coronam acceperunt.
- 36 Beatus, qui temperantiam diligit, nec ventris delicii ac sordibus indulget, in Domino enim, qui talis est, magnus efficietur.
- 37 Beatus, qui ab ebrietate & vino, quo gaudent intemperates, minime capitur, sed assidue oblectat sese in Domini recollectione, qua semper homines sancti delectantur.
- 38 Beatus, qui ex Dei voluntate facultates suas administrat, quique a Deo Seruatore nostro tanquam auarus & crudelis in proximum non repudiatur.
- 39 Beatus, qui precationi, & lectioni, & bonis operibus incumbit assidue. Illuminabitur enim oculus anime ipsius, ne in morte dormiat.
- 40 Beatus, qui factus est bona sagena spiritalis, multosque pisces capit Domino suo, ab eo enim valde commendabitur.
- 41 Beatus, qui proximi sui conscientiam non pungit, faciens, quæ sunt iniusta, sed ei potius se virtutis exemplum præbet, a Domino enim accipiet benedictionem.
- 42 Beatus, qui patiens & misericors est, quique barbaris tyrannis iræ atque odio non seruit, in Domino enim, qui talis est, exaltabitur.
- 43 Beatus, qui charitate sublimis est, tanquam ciuitas super montem posita, quam hostis intuens discedit, abiecta illius capiendæ spe, sic enim & ipse tutus est in Domino Seruatore.
- 44 Beatus, qui Domini fide clarus est, veluti lucerna super excelsum candelabrum ardens, quique animas tenebris circumfusas, & quæ infidelium atque impiorum partes sequuntur, illustrat.
- 45 Beatus cuius anima floret veluti palma fidei rectitudine, nec prauis infidelium & impiorum hæreticorum opinionibus quasi sentibus ac spinis horret.



BEATITVDINES

46 Beatus, qui semper diligit veritatem, nec linguā suam mendacior tanq̄ impium accommodat instrumētum, alsidueq; sermonem Domini de verbo otioso meditat̄ur.

47 Beatus, qui non, vt inspiens, iudicat proximum suum, sed potius, vt prudens, studet euicere trabem ex oculo suo.

48 Beatus, qui cohibet oculos suos, quiq; nec cogitatione, nec sensu seipsum decipit, aut curandæ nimium indulget, ex qua mox defluet sanies & putredo.

49 Beatus, cui dies migrationis ex hac vitā ante oculos versatur, & qui superbiam deprimit, anteq̄ naturæ nostræ imbecillitas in sepulchro corrupta ac dissoluta redarguatur.

50 Beatus, qui mortuos acruatim in tumultis dormientes meditat̄ur, quiq; turpes a se repellit cogitationes, excitabitur enim in gloria, cum cœlestis illa tuba cunctos mortales è somno in vitam reuocans personabit.

51 Beatus, qui spiritali prudentia stellarum choros & cœli pulchritudinem suscipiens, desiderio contemplandi rerum omnium procreatoris incitatur.

52 Beatus, cuius in animo ignis ille versatur, qui descendit super montem Sina, & sonitus buccinarum, & Moses cum timore & tremore in medio cōsistens: quiq; salutem suam minimè negligit.

53 Beatus, qui spem suam non in homine sitam habet, sed in Domino, qui rursus veniet ad iudicandos omnes in iustitia. erit enim tanquam arbor fertilis propter aquas posita, quæ fructum facere non intermittet.

54 Beatus, cuius mens tanq̄ nubes aqua diuinæ gratiæ plena mortalium animas irrigat, vt vitæ fructus ferant. Erit enim decus illius in gloria sempiterna.

BEATITVDINES

66

55 Beati, qui Domino vigilant cum sobrietate & castitate. Protegentur enim ab eo in iudicii die, & vt sponsi comites atque amici cum gaudio & læticia eū sequentur & aspicient.

Ego autem, meiq; similes ignaui homines, ac voluptatibus dediti, in luctu squaloreque versabimur, videntes fratres nostros in maxima gloria cōstitutos, nos autem supplicii acerbissimis excrucianos. Statum meum considerans, fratres charissimi, magnam effundo copiā lacrymarum qui cū currere cœperim, defessus sim, & in medio stadio cursum remiserm, ac miserandum intuentibus spectaculū præbeam. Quomodo possum inertiam ac negligentiam meam magnam non deplorare? Quidam in sacco & ferro seipsum humiliarunt. Alii in claustris ieiunio vacantes Domino seruiert. Nonnulli calumniis inclusi vitam sine reprehensione transegerunt. Multi in solitudine virtutes excoluerunt. Ex obedientia plerique coronas adepti sunt. Ego autem infœlix, & mei similes otio ambitioniq; dediti, pietatis quidem ac religionis habitum induimus, sed re ipsa pietatem abieimus & religionem. Quis labores & cruciatus sanctorum Martyrum vtriusque sexus queat enumerare? Illi Dominum suum imitantes humilitatem complexi sunt. Nos honores & salutationes in foro concupiscimus. Illi in custodiis conclusi famem, & sitim, & cruciatus, & vincula pertulerunt. Nos ne tantillum quidem afflictionis æquo animo ferre possumus, sed voluptates & delicias totis viribus consecramur. Iniurias illi & contumelias vsque ad mortem æquo animo passi sunt: Nos consilia etiam & cohortationes negligimus. Illi nec incendia timuerunt. Nos vel sermone paulo duriore commouemur. Illi ad cruciatus & tormenta publicè gaudentes accedebant: Nos eorum quidem certamina audientes admiramur, sed ea nolumus



BEATITVDINES

imitari. Quamobrem multis gemitibus & lacrimis indigemus, ne è regno cœlorum eiciamur, cum ingès proposita sit certantibus gloria. Abiecta igitur ignauia ac negligentia precibus ac supplicationibus diligenter incumbamus. Neque enim iniustus est Deus, vt opera seruorum suorum obliuiscatur, qui seipfos voluntati eius omnino subiecerunt, qui propter nomē ipsius seculo renuntiauerunt, qui parentes proprios reliquerunt, vt ad eius fores hora tertia, sexta, nona, vesperi, mane, immo vero tota die, ac nocte pulsantes vigilarent. Absit, vt talem Deus humilitatem aspernetur. Certis in locis cœclust degūt, manibus suis opus faciunt, ieiuniis, atque vigilis vacant, improborum spiritū impetus sustinent, genua precationibus inclinant, oculos humi defixos assidue retinēt, & benignitate ipsius supplices orant atque obtestantur. Horū preces ipse despiciet? absit. Homines acerbi atque crudelēs precibus placant, iracūdiāq; deponūt. Et Deus, qui bonus, ac benignus est, & diues in misericordia, afflictionem, religionem, humilitatem, sanctitatem, temperantiam, taciturnitatem, patientiā, summisionem eiusmodi contēnet? Minime vero. Ne igitur animos despōdeamus, fratres charissimi, ne ue precationibus & sacrificiis negligētē incubamus. Ostiū diuinæ misericordiæ cōiūter pulsēmus. Quāto. n. pulsando constantior fueris, tanto maior merces erit. Assidue vigila. Qua n. hora minus speras, mittet Dñs, qui reponat te in horreo vitæ, & in cœtu iustorum, vt ab omni sollicitudine vacuus perpetua quiete pfruaris. Vbi non est bellum, neque aduersarius. Nullus enim illic est hostis, qui nos oppugnet, nullæ pugnandi occasiones. Belli occasio est cupiditas pulchritudinis pfruendæ. At in cœlo cōrubia non celebrantur, sed homines sunt sicut Angeli. Belli causa sunt diuitiæ, & gloria, quæ quidem omnia caduca & fugacia sunt.

2. Io 1.

Quare nos monet Ioannes Apostolus, Nolite, in-

BEATITVDINES

67

quiens, diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Nam concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ non est ex patre, sed ex mundo. Et mundus transit & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quemadmodum enim qui incidit in senticetum, a sentibus & spinis affligitur, donec purum in locum egrediatur. Sed cum inde sese extricarit, non timet amplius. Sic & homines sancti, si per loca spinosa sit incedendum, studio ac diligencia pro calceis vtuntur, atque ita per spinas iter facientes, ab illis detrimento nihil accipiunt. Negligentes vero & qui labores fugiunt, in interitum præcipientes ruunt. Quod Luc. 15. quidem significans Dominus, filio, qui redierat, iussit calceamenta dari, & stolam, & annulum, vt audacter & sine timore serpentis caput contereret. Porrò vita ipsa similis est loco spinis referro, peccata enim in ea pullulant veluti spinæ. Locus autem purus ac mundus est cœlestis Hierusalem, ciuitas Regis magni, ad quam vtinam perueniamus per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum. Amen.

Beatitudines aliæ

Beatus, qui mundi vanitates odit ac deserit, & in solo Deo vitæ suę spes omnes atque cogitationes sitas habet.

Beatus, qui peccatum odit ac detestatur, & Deum solum, qui bonus ac benignus est, diligit.

Beatus, qui factus est tanq̄ Angelus in terra, & Seraphim imitator castas assidue colit cogitationes.

Beatus, qui castus est coram Deo, & sanctus, &



BEATITVDINES

purus, atque integer ab omnibus fœdis cogitationibus, & actionibus improbis.

Beatus, qui ab omnibus huius vanæ vitæ negotiis prorsus est liber.

Beatus, cui formidabilis illa iudicii venturi dies in mente versatur, quiq̃ue cum lacrymis animæ suæ vulneribus mederi studet.

Beatus, qui assidua lacrymarum copia improbarû cupiditatum flammam extinguit.

Beatus, qui ambulat in via mandatorum Domini, mansionesq̃ue facit quotidie per fidem synceram & charitatem.

Beatus, qui studiose dat operam, vt in bonis moribus proficiat, speratq̃ue a Deo, se perpetuum ac cœleste regnum accepturum.

Beatus, qui memor verborû Domini, quibus monet, de omni verbo otioso reddendam esse rationem, ori suo custodiam ponit, ne ab eius mandato recedat.

Beatus, cuius anima, veluti arbor nuper sata, crebris gemitibus ac lacrymis tanq̃ opportunis auris & aquis fouetur & irrigatur.

Beatus, qui ex Sanctorum vitis in animam suam tanq̃ egregios furculos trãsfert exempla bona atque virtutes.

Beatus, qui bonas cogitationum plantas precationibus & lacrymis fouet, ac rigat, vt fructus Domini gratos ferant.

Beatus, qui flamma diuinæ charitatis incensus, sordidas omnes cogitationes, & animæ suæ inquinamenta comburit.

Beatus, qui voluntate factus est velut terra bona, centesimum, & sexagesimum, & trigesimum fructum ferens.

Beatus, qui proposito inuentus est semen bonû, quod in agro suo Dominus seuit.

Beatus, qui præclaram illam cœlestem margaritã

BEATITVDINES 68

inuenit, & venditis terrenis omnibus bonis suis eam solam emit.

Beatus, qui in agro thesaurum inuenit absconditum, gaudensq̃ue vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum illum.

Beatus, qui migrationis ex hac vita semper est memor, studioseq̃ue curat, vt in illa hora paratus & intrepidus inueniatur.

Beatus, qui in illa discessus hora fiduciam inuenit, quando anima cum timore & dolore a corpore separabitur. Venient enim Angeli, vt animam a corpore seiunctam accipiant, statuuntq̃ue ad tribunal immortalis ac terribilis iudicis. Magnus, o fratres, in illa mortis hora nos timor inuadet. E corpore enim cum timore ac gemitu recedenti præsto erunt opera, quæ gesserit, tum bona, tum etiam mala, vt eam ad immortale iudicium comitentur. Vrgentibus autem illis, vt migret e corpore, respiciens opera sua, concedite, inquit mihi adhuc paululum spatii. At vniuersa ipsius opera vna voce respondebunt, Tu nos fecisti, tecum ad iudicem Deum proficiscemur. Inanem hanc vitam, fratres charissimi, despicientes, Christum vnicum animarum nostrarum redemptorem diligamus. Nemo diem & horam mortis habet exploratam. Dum erimus in deliciis & mundi negotiis occupati, repente formidandum illud edictum asseretur, vt anima a corpore discedat. Itaque peccatis nullam reperiet excusationem. Quæ cum ita sint, operam demus, fratres charissimi, vt liberi simus, neque nos vanæ, & fugacis huius vitæ seruituti subiciamus. Ostendiculis & mortis laqueis hæc vita referta est. Ab his animas nostras liberemus. Retia nobis tendit aduersarius, vt animas nostras capiat, & ad interitû abstrahat sempiternû. Inter insidias & plagas iter facimus, fratres charissimi, nobis igit attendamus, ne præcipites ruamus ad



BEATITVDINES

perniciem & mortem. Dulcedinem retribus suis præ-
tendit inimicus. Caueat anima nostra, ne mundi ne-
gotiorum, aut pecuniarum, aut cogitationum, actio-
numve improbarum dulcedine capiat. Si cogita-
tio praua aditum sibi in anima patefecerit, illecebris
insidias illi mortemque molietur. Improbam enim co-
gitatio nisi oratione, & lacrymis, & abstinentia, & vi-
giliis expellatur, fit in anima veluti laqueus quidam
perniciosus. In eam curam incumbere, ut a terrenis om-
nibus occupationibus vacuus, cogitationum, actio-
numque fugias laqueos improbarum. Caue, ne latum
quidem vnguem inclines ad malas cogitationes. Nul-
lo temporis momento eas in anima tua morari per-
mittas. Assiduis precibus, & ieiuniis, & lacrymis sup-
plex ad Deum confugito, ut ab omnibus insidiis, &
offendiculis, & cupiditatibus libereris. Caue, frater,
ne dum te diu in terra victurum speras, cogitationi-
bus & operibus malis aditum patefacias, nuntius aut
a Dño repente veniens, te peccantem offendat, & nullum
penitentiam spatium concedat. Quibus verbis, o fra-
ter, in illo migrationis articulo mortem alloqueris? Fit
enim plerumque, ut ne punctum quidem temporis concedat.
Mors ex improviso multos oppresit, qui cum se diu vi-
cturus crederent, negotiis, & peccatis impliciti pecu-
niam manibus contrectabant, longique temporis fortem
numerabant & fenus. Eadem mors cum ad virum iustum
accedit, cum precatione & ieiunio cælestes diuitias
parantem, & nulla mortis formidine trepidantem in-
uenit. Semper igitur, ut prudens, & spiritui deditus,
mortem, & migrationem, & Dei tribunal meditare.
Quotidie, ut sapiens para lampadem tuam, eamque
singulis horis cum lacrymis precibusque considera,
ut semper instructa sit. Ea te cura, frater charissime,
nunquam deferat, ne tempus ingruat plenum increduli-
tatis, ignaviae, crudelitatis, quod te præ confusio-
ne, quid præstet, considerare non sinat. Considerate,

BEATITVDINES

69

fratres charissimi, quomodo vigeant omnia male,
quomodo quæ pessima sunt, quotidie progredian-
tur, quomodo vitia propagentur, & magnas in vniuer-
so orbe calamitates futuras portendant. Propter pec-
cata nostra res aduersæ contingunt. Vigilemus igitur,
Deum ac proximum diligamus. Quotidie nos
aduersus improbum hostem armemus. Artes ac do-
los ipsius agnoscamus. Inuisibilis est noster aduersa-
rius, quem si vincere cupimus, opus est, ut nos a terre-
nis omnibus rebus liberemus. Si mortem assidue me-
ditaberis, non peccabis. Si ab omnibus terrenis nego-
tiis liber ac nudus fueris, latronis impetum non time-
bis. Si hæc caduca & fugacia despexeris, victoriam pal-
mam obtinebis. Res enim terrenæ deorsum trahunt,
& cupiditates in bello cordis oculis tenebras offun-
dunt. Ecce nos vincit improbus inimicus, quia ter-
renis sumus negotiis occupati, & cupiditatibus in ser-
uimus. Terrena diligimus, fratres charissimi, & mens
nostra in terra defixa est. Ad vesperam inclinat dies.
Hora mortis appropinquat, & nos increduli deside-
mus. Ecce regnum cælorum in foribus est. Nos autem
aures auertimus, & nolumus audire. Signa & porten-
ta, quæ prædixit Dominus, omnia contigerunt. Fames,
pestilentia, terremotus, terrores, bella, tumultus,
& alia eiusmodi nobis videntur esse somnia. Nil
nos mouent, cum ea vel audimus, vel etiam specta-
mus. Electi ante afflictionem colliguntur, ne videant
magnam illam confusionem, quæ iniquum orbem est
inuasura. Matura iam seges est, & metis instat. Finis
hoc habet seculum. Angeli arreptis falcibus Domini
iubentis nutum expectant. Timeamus, charissimi.
hora diei est undecima, & longa nobis restat via. Ope-
ram demus, ut Dominus nos progredientes inueniat.
Vigilemus, & sobrii simus. Quæ hora venturus sit
Dominus, ignoramus. Terrenarum sollicitudinum
onera deponamus, ut leues expediti; simus. Prohi-



BEATITVDINES

bet Dominus vlla de re nos esse sollicitos . præcipit, vt nos mutuo diligamus. Nos autem charitatem abicimus. Charitas exul at, dominantur peccata, iniquitas occupat omnia. Cuncti terrena concupiscunt, cœlestia cōremnunt, caduca diligunt, æterna despiciunt, præsentia complectuntur, aspernantur futura. Vis fieri cœlestis? Quæ super terram sunt, respue, ad perfectionem contende, ad regnum cœlorum aspira. Ne dixeris. Magnus excolendæ virtutis est labor. Ego autem pusillus sum, & imbecillus. Exercitationis molestiam ferre non possum. Optimum atque pulcherrimum consilium auribus percipe. Audi, frater charissimi me, & Christi amantissime, quæ dico. Si tibi in regionem, & patriam aliquam longinquam sit proficiscendum, non potes totum itineris spatium vnico passu conficere. Itaque paulatim, & per multa loca, ac multos dies incedens, post magnos tãdem labores eo peruenis, quo cupiebas. Eodem modo se habet cœleste regnum & paradysus deliciarum. Illuc enim per ieiunia per continentiam, per vigilias tenditur. Temperantia, lacrimæ, vigilæ, preces sunt viæ, quæ ducunt ad paradysum. Ne verearis pulchram hanc viam ingredi, quæ ducit ad vitam æternam. Velis tantummodo per illam iter facere. Seatim enim ante pedes tuos, si promptum animum attuleris, dirigetur. Cum gaudio & lætitia in ipso itinere mansiones facies. Animæ rugæ gressus singulis mansionibus firmabuntur. Nullam in hac via, quæ ducit in cœlum, reperies difficultatem. Dominus ipse factus est via vitæ volentibus ad patrem luminum proficisci. Factus es mihi, Christe Seruator, via vitæ me ad patrem ducens. Hęc sola verum continet gaudium. Huius finis est regnum cœlorum. Factus es mihi, Domine Iesu Deus, via vitæ, atque lux. Et hausi per me ex fonte munera desiderio plenus. Euasit in corde serui tui gratia tua lux, & lætitia, dulcior in ore meo super mel & fauum.

BEATITVDINES

70

Extitit gratia tua in anima serui tui tanquam thesaurus. Ditauit paupertatem meam: famem & sor-des depulit. Gratia tua, Domine, facta est refugium, & virtus, protectio, & exaltatio, & cibus in tota vita seruo tuo. Quomodo silere poterit seruus tuus, Domine, magnam dulcedinem charitatis & gratiæ tuæ? os meum indignum aperui. Sed lingua mea bonorum largitorem pro dignitate laudare & celebrare non valet. Ego tamen peccator, gratiæ tuæ fluctus, suauitate plenos, & in corde meo estuantes excludere nequeo. Cantabo igitur gloriam Domino cœlorum, qui seruo suo dona cœlestia per multiplicem gratiam suam largitus est. Laudabo benignitatem tuam, Christe Seruator. in hac enim laudanda laudem ipse magnam inuenio. Gratiam tuam, Domine, lingua mea celebrare non desinet. Cithara mea nullum spiritalia cantica modulandi finem faciet. Ad se me trahit desiderium tui, o Seruator, & gloria vitæ meæ. Gratia tua mira quadam suauitate mentem meam impellit, vt post te sequar. Fiat cor meum terra bona, quæ semen tuum bonum suscipiat. Gratia tua illam perfundat rosæ vitæ eternæ. Percipiat gratia tua è terra cordis mei fructum bonum, qui tibi semper est gratus, lacrimas, adorationem, & laudes. Conuerte animam meam ad ouile paradysus deliciarum cum oue illa, quæ perierat, & inuenta est. Inueniatur anima mea in lumine tuo. Vt ouem illam inuentam in humeros tuos sustulisti, sic indignam hanc animam meam manu tua trahito, vt vtrunque offeras sanctissimo patri tuo, & ego cum omnibus sanctis, & piis, & iustis dicam in deliciis illis paradysus. Gloria patri immortalis, & filio immortalis, & spiritui sancto immortalis. Adoratio, honor, & imperium tibi, Domine, qui cœlestia munera largitus es mihi indigno atque inutiles seruo tuo, vt gloriæ drachmam offeram



DE RECTA VITAE RATIO.

Regi vniuersorum. Laus Deo nostro in secula seculorum. Amen.

De recta uita ratione.

- 1 SI rectam viuendi rationem diligis, humilitatem amplectere, sine hac enim recta vitæ ratio nequit consistere.
- 2 Peregrinus a recta semita aberrans in aliena regione vagatur: Et qui ab humilium desleat itinere, non figet tabernaculum suum inter tabernacula iustorum.
- 3 Quicquid agis, id agito cum humilitate in nomine Seruatoris nostri Christi, sic enim fructus tuus tolletur in cœlum. Superbia nanque similis est arbori putridæ, cuius rami vndique facile confringuntur. Quod si quis in eam ascenderit, celeriter decidet.
- 4 Qui ab humilitate recedit, a Deo incipit derelinqui. Quem autem derelinquit Deus, is, quemadmodum Saul, a malo spiritu vexatur.
- 5 Is grauius vexatur, qui peccatorum premitur cōsuetudine, neque ab eiusmodi tempestate vsque ad mortis horam emergit.
- 6 Si diligenter attenderis, vbique laqueos inimici deprehendes voluptatis illecebris tanquam mellis dulcedine circumlitos, vt si quis voluptati suauitatem gustare velit laqueo capiatur.
- 7 Noli mel huiusmodi concupiscere, ne decipiaris, dulcedinis enim illius extremum felle & amaritudine replet amatores suos.
- 8 Humilitatem amplectere, & Diaboli retibus nunquam capieris. Leuissimis enim humilitatis alis sublatus velocior ac sublimior existes, quam vt ab eo capi possis.
- 9 Si quem videris superbia tumidum, aspectu terribilem, habitu splendidum, & comitantium caterua

DE RECTA VITAE RATIO. 71

reliquos prementem, illi ne inuideas, neque perturbaris, sed fortis ac temperans esto, & eum paulo post extinctum aspicias. Soli enim illi perpetuo florent, qui Dei obtemperant voluntati.

- 10 Qui pietatis ac virtutis studio sunt Domino grati, minime admirantur eos, qui huius vitæ deliciis & commodis excellunt. Sciunt enim illos nō aliter quā agri flores celeriter exarefcere. Nos autem ignauam ac negligentes si quem corporis valetudine, & pulchritudine, atque diuitiis præstantem conspiciamus, licet im probus atque impius sit, eum planè beatum existimamus. Ex quo fit, vt ignorantes, quanta sit virtutem ac pietatem colentium dignitas, honestos labores ac studia negligamus, temperantiamq; & sanctitatem aspernemur.
- 11 Ludis puerilibus, fratres, ne incumbamus, sed vitam amplectamur perfectam, ne virtutem colentium gaudio spoliati sempiternis suppliciis torqueamur.
- 12 Beatus, qui bonas spes fouet in corde suo, & bonis cogitationibus delectatur, eius enim gloria ingēs atque immortalis.
- 13 Silentium & quietem diligamus, vt peccata nostra considerantes modeste submissiq; nos geramus, neque arrogantia & malitia cogitationes tanquam pestiferas belluas nutriamus.
- 14 Silentium & quietem amplectamur, vt cor mundum seruemus, & templum, quod nobis commissum est, a peccatorum corruptione integrū custodiamus.
- 15 Preclara res est oratio cum gemitu & lacrimis, si tacite peragatur. Nam quæ cum clamore fit, vt audiat, humane laudis studium indicat. Qui autem cum iudicio & fide Dominum precatur, in conspectu eius, cogitat, quemadmodum in ipso viuimus, mouemur, & sumus.
- 16 Si obsecratum est cor tuum, luce coram Deo, vt tibi cognitionis lumen infundat, & illos ne contem-



DE RECTA VITAE RATIO.

17 *ps*eris, qui animo ardenti clamores emittunt in cœlū,
17 Qui bonis operibus incumbentes iri idet, se Diaboli ministrum præbet, atque illius subsequitur voluntati, nec gaudium illud inueniet, quod seruis Dei paratum est.

18 Tu verò, qui te in studio pietatis exerces, opera tua prudenter exequere, ne occasionem præbeas quæ rentibus occasionem.

19 *Vx* hominibus inhumanis, *væ* dolosis, & delicias consecretantibus, acerbæ enim illos manent supplicia. Quippe qui serui ventris effecti Deum aspernâtur, vt in hac vita vanitatis plena principatus & dignitates obtineant. Sed repente mors superueniens eorum fauces exsiccet, in quas assidue suaues epulas ingerebant, imperia, atque honores aufert, quibus creatorē suum contempserant. Tunc infeliciū cadauera tanquam stercorea proiciuntur in terram, animæ verò ad loca propria & conuenientia pertrahuntur.

20 Cum ea, quæ sensui incunda sunt, in vita perspexeris, ne capiaris, caue. Illic enim latitat esca mortis. Neque enim hamum nudum in aquam dimittit piscator.

21 Cupiditatum retia tendit aduersarius, vt animas omnes improbus sibi reddat obnoxias.

22 Anima, quæ capta est, sit veluti laqueus ad alias decipiendas, vt inimici pareât voluntati. Allicit enim illas, quæ nondum expertæ sunt Draconis acerbitatem. Nam, quemadmodum perdix comprehensâ tanquam esca proponitur illis, quæ nondum captæ sunt. Circa illam enim auceps laqueos collocat, vt voce sua reliquas circumuolitantes ad eos alliciat.

23 Ab excolenda virtute labor te ne deterreat. virtus enim sine labore comparari non potest.

24 Inter labores animi oculos in cœlum tolle, consideranti enim cœlitum gaudia nullus videbitur labor recusandus.

DE RECTA VITAE RATIO. 72

25 Studiose labores honestos amplectere, vt inanissimum laborum effugas difficultatem. Iustorum enim labores vitæ fructum asserunt. Peccatorum autem labores sunt miseria pleni.

26 Forti ac patienti animo, vt Deus iubet, vitæ præsentis ærumnas sustine, & Sanctorum spes te minime frustrabitur. Nam inimici iugum mortiferam in se trinitiam habet.

27 Qui addicti sunt mundi vanitati viros bonos student e medio tollere, ne præsentia ipsorum coarguantur. Sed eorum ruina pietatis studiosos illustrat.

28 Ne laborum tuorum fructum amittas, humilitatem cole. Hanc enim si reieceris, inter eos, qui frustra laborant, ipse quoque numeraberis.

29 Vis in officio animam continere? Te ipsum vndique prudenter muni aduersus voluptatum cogitationes, ne in portu naufragium facias.

30 Si te vt portum tutissimum vis constituere, fortitudinis & constantiæ moles circunda tibi, ne libidinis procella ac fluctibus obruare, & pro portu scopulus efficiaris.

31 Anchoram cū anchora noli implicare, ne, siquid in te leue reliquum est, a cupiditatibus detraharis.

Qui enim extrahere cupit eum, qui decidit in profundum, prudenter id agere debet, ne ab illius anchora eodem in gurgite demergatur. Malorum enim sermo & consuetudo, facile si detur occasio, aculeo & vnco suo animam figit ac detrahit.

32 Improborum colloquia & consuetudinem fuge, & magna in tranquillitate versabitur animus tuus.

33 In dedecus ac ludibrium incidit, qui non omnia opera sua prudenter agit. Perfectos enim ac sapientes Deus esse nos omnes iubet.

34 Nisi Sancti Spiritus igne vehementer inflammatum te sentias, noli cogitationes aliorum audire. Duplici enim bello oppugnaberis. Nam cum eorū, quæ



DE RECTA VITAE RATIO.

audiuimus, recordatione animæ nerui franguntur; Tum is, qui se se nobis subiecit, nisi vitia virtute superauerit, inimicus efficitur. Cum enim propter negligentiam in eadem peccata reciderit, eum, quem sibi magistrum & correctorem elegerat, vt aduersarium intuetur. At ille si prudens est, cuncta tradit obliuioni. Potest enim Deus illum rursus conuertere.

35 Quemadmodum, si quis domi columbam nutrit ea verò fenestram apertam inueniat, atque auolet, nõ statim ligno aut lapide obiecto fenestram ocludit, sed milii, aut leguminum granula prudenter spargit, vt eam ad reuertendum alliciat. Sic multa indiget prudentia & experientia, qui cogitationum maculas studeat abstergere.

36 Ita lege, vt ex lectione tua non ea solum, quæ ad dicendi facultatem & elegantiam pertinent, persequere, ne cor tuum feriat arrogantia spiritus: Sed imitar sapientis apiculæ, quæ mel ex floribus colligit, ex iis, quæ legis, animi medicamenta conquire.

37 Quemadmodum si pauper gloriæ cupidus sibi Regis nomen imponat, non propterea tamè est Rex. Sic & monachus, qui cum occulte comedat, ad fratrum mensam in eadem ac temperantiam simulat, non est virtutis studiosus, sed texit aranæ telâ. Neque enim per viam Sanctorum incedit, sed per viam illorum, qui laudes hominum aucupantur, quos sic alloquitur Spiritus Sanctus: Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent.

Psal. 52

38 Si mundo renuntiaueris, quæ tua sunt, cura, vt optatam margaritam inuenias. Sunt enim qui vel militia relicta, vel diuitiis distributis mundo renuntiantes è seculi vita recesserunt, sed dum propriæ inhaerent voluntati, ceciderunt. Nihil enim grauius, quàm a propria voluntate superari, & non ex diuinæ voluntatis prescripto vitam instituire. Hi cum se a vitæ negotiis quàm longissime putent discessisse, adhuc tamen

DE RECTA VITAE RATIO. 73

tamen in ipso vestibulo detinentur.

39 Filii Israel cum è ferrea seruitute liberati mare rubrum incolumes traiecissent, & eiusmodi muneribus & commodis fruerentur, in continenti naufragiū fecerunt, quia propriæ voluntati voluerunt indulgere, & ex tanta multitudine duo tantum seruari sunt, qui diuina oracula non contempserunt, sed Dei altissimi consilium & voluntatem pie sanctèque obseruarunt.

40 Qui mundo nuntium remisissent, commune cum mundo nihil habent. Hi siue primo locentur loco, cum principes non sint, siue postremum in locum detrahantur, nihil commouentur. Qui vero de recta pietatis sententia dimoueri se sinunt, ad mundi voluptates facile declinant, nec pro virtute deinceps certamen subeunt, sed iugum abiicientes diligenter ædificant, quæ recte quondam destruxerunt. Non aliter, quàm si virgo grauisissima, quæ sensus suos in thalamo studiose custodiebat, abiecto pudore corrumpatur; Impudenter enim flagitia committit, Neque Deum, neque homines uerita. Attamen Dei manus non effugiet. Nam dies opera cuiusque declarabit. I. cor. 3. Igne enim explorabuntur.

41 Beatus, qui virtutem operibus profitetur ac prædicat. Virtutem enim verbis profiteri, & re ac factis virtuti contraria sequi salutem afferre non potest. Nec qui de modestia ac temperantia disserit, & flagitiose uiuit, præmium assequetur.

42 Animo ne perturberis, o amice Dei, cum voluptatum studiosos, ea, quæ sensui iucunda sunt, uideris sine timore consecrari. Flos enim istorum fetet. At eorum, qui virtutes colunt, studia in luce splendent, & mira fragrant suauitate. Constans igitur esto in virtutis pietatisque studio, vt ab illis etiam, qui fluxas voluptates diligunt, collauderis. Virtutis enim studiosos tacite beatos existimant, licet id aperte fateri nolint.



DE RECTA VITAE RATIO.

- 43 Cum hominum corpora conspexeris artificio cōpta & ad fœdum amorem excitandum ornata, ea ne admireris, neque te cutis paulopost in cinerem dissoluendæ nitor decipiar, sed tecum ipse cum gemitu psalle. Memento, inquit, Domine, nos esse puluerem. Homo sicut fœnum. Dies eius tanquã flos agri, sic efflorescit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscer amplius locum suum, misericordia autem Domini à seculo, & vsque in seculum superimentes eum. Quod si feceris adiuuante gratia Dei, in hac pugna non capieris ab inimico.
- 44 Omni studio Deum ora, vt tibi perfectæ castitatis spiritum largiatur, quo Demonis insidias in nocturnis etiã illusionibus effugias. Vt si quis se à serpente inuadi & oppugnari perscipiat, aut ab aliquo faciem ardentem iniiciente, is de loco in locum aufugiat, ne à fera, aut igne comprehendatur.
- 45 Quemadmodum sine labore ac studio nemo sciẽtiam aut artem vllam pecunia consequitur, ita sine diligentia & patientia non potest ad perfectionem Monachus peruenire.
- 46 Quemadmodum reliquis omnibus corporis mēbris caput anteponis. Et si quis te vel lapide, vel fuste, vel gladio petat, cætera obiciis membra, vt ictum à capite repellas. Cum in eo potissimum vitam consistere non ignores: ita Sanctæ & eiusdem essentia Trinitatis fidem, sine qua vitam, quæ vere vita sit, viuere nemo potest, rebus omnibus antepone.
- 47 Ex toto corde tuo spes tuas omnes in Domino sitas & locatas habe. Neque enim Dominus seruos suos in se sperantes vnquã despiciet aut derelinquet. Decipere gestiebat Aegyptia Dei amantissimum Ioseph, & magno impetu ad finem sibi propositum contendebat. At pudicus adolescens Dei omnipotentis recordatione veluti rore animum suum perfundebat, ne impii amoris igne torreretur. Custodiebat autem

Pf. 102.

DE RECTA VITAE RATIO. 74

- sensus suos, ne peregrinis cogitationibus locum daret, & impudicæ foeminae captiuus fieret. Eam enim semper, vt mortis laqueum, aspiciebat. Quamobrẽ tentatione superata coronatus & Rex Aegypti factus est.
- 48 Decreuerunt homines impii Babylone aduersus animam piam insurgere, vt eam turpiter inquinaret. Sed illa cum Deum altissimum adiutorem haberet, improbos magno cum ipsorum dedecore superauit. Cumq; se beatam illam in iudicio sententiis suis capite dānatos existimaret, ea ipsa re imprudẽtes in mortis sententiã incidunt. Neque n. oculos Dei, qui semper vigilat, & omnia lustrat, illud aut decipi potest.
- 49 Per viam angustam atque arduam incedamus, fratres charissimi, vt vera cum laude custodem habeamus ac defenforem Deum.
- 50 Margaritæ tutissimis atque intimis in locis conditæ conseruantur. Quisquiliæ autem & vilissima quæque vt fimum & lutum in plateas proiciuntur.
- 51 Siquis in te maledicta cõficiens exprobrat ea, quæ flagitiose cõmisisti, te ipsum potius, q̃ illū argue. Tu enim factis te dedecorasti ea patrans, quæ nūc audire non vis. Noli minis & iracundia illi silentiū imponere, sed te ipsum corrige, ne mala committas. Scelerum enim fœtor te animæ tuæ proditorem esse significat.
- 52 A flagitiis & malis operibus te per penitentiam ablue & absterge, & contumeliæ atque infamiæ dedecus te non commouebit.
- 53 O tu, qui ad vitam aspiras, peccato resiste, & tentationis impetum ne reformida. Tentatio enim militum strenuum minime lædet.
- 54 Quæ per ignem transeunt, ignem non metuunt. Lateres crudi sunt fragiles & inualidi. iidem igne concocti tam validi sunt, vt igni simul & aquæ resistent. Ac quemadmodum in vase fœtili aqua, sic in fornace flamma continetur. Fornax autem ex lateribus constat.



DE RECTA VITAE RATIO.

55 Tu quoque fortis ac strenuus esto in tentationibus & tribulationibus, & voluptatum ardoribus obfiste, ne crudi lateris instar, pluuiæ guttis, quam videris habere, soliditatem amittas.

56 Opera tua ne putes recta, nisi à piis hominibus comprobentur.

57 Audi vocem Domini, vt opituletur tibi, manusq; suas aduersus eos, qui te affligunt, obiciat, & humiliet inimicos tuos. Ibunt enim, vt illis cōminatur, secundum desideria cordis ipsorū in adinventionibus suis.

Psal. 80.

58 Omni studio propriæ resiste voluntati, & eorum monitis obtempera, qui Deū timent. & diuina adiuuante misericordia conteres Draconis caput. Quando autem sequeris voluntatem tuam, à perfectione abesse te scito quàm longissime. Quantum vero abes à perfectione, tantum doctrina indiges ac disciplina.

59 Sustine afflictionem in Domino, vt lætitiā percipias. Laborem subi, vt mercedis fructum feras.

60 Lapidida lapidibus cedendis, & faber tundēdo ferro mercedem accipiet.

61 Qui bellum fugit, spolia non referet, & qui abhorret à disciplina, inter prudentes non habebit locum.

62 In sublime conscende & terrena cuncta despicias humilia & abiecta. Quod si è sublimi descenderis, quæuis domuncula dealbata tibi erit admirationi.

63 Omnibus in rebus prudentiam adhibe, qui pietatem colis. Hæc enim te tanquam in vehiculo gestabit, & multis è periculis eripiet, neque enim studiosos amantesq; sui quicquam ad aliorum perniciem aut loqui aut facere patietur.

64 Proficientis est, seipsum semper accusare, seipsum autem accusantis, alterum eodē in errores incidētem minime iudicare.

65 Ex duobus illis seruis decoctoribus, qui eandē ob causam in carcerē cōiecti sunt, ille rei ingratus damnatus est, qui in conseruum suū crudelitatem exercuit.

DE RECTA VITAE RATIO. 75

66 Eum, qui incidit in tentationem, irridendo nōsī condemnare, sed assidue Deum ora, ne te in tētationem inducat. Cuius enim aninus cogitationum turbine ac procella confusus perturbationibus cedit, is nec homines veretur, nec Deum timet. Quōd si potens ac diues est, audacter mala committit. Sin imbecillus ac pauper contumacia & ipse sua impudenter in scelus & flagitium ruit.

67 Ne sis voluptatum studiosus, aut superbus. Audi sacrum prophetam clamantem: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei.

Psal. 67.

68 In cellula tua te contine, o monache, ibique prerationi cum animi summissione frequēter incumbē, quemadmodum tres illi pueri in camino ignis, & ne constituas te speluncam latronum faciens iniusta, ne in die iudicii cōfundaris, cū hominū arcana patehēt.

69 Qui messis tempore piger est, domum suam lætitiā minime cumulabit. Et qui in hac pietatis studiū & labores negligit, in altera consolationis iustorum expers reperietur.

70 Tempus horrendum ac formidandum nobis aduentat, fratres, cum ea, quæ in occulto & in tenebris gessimus, aperta ac manifesta omnibus proponentur. Væ animæ illi, quæ non habet adiutorem Deum.

71 Agite, fratres Christo charissimi, extremum vitæ diem nobis ante oculos proponamus. Cogitemus, quomodo dies nostros transegerimus. Stultus, qui cum stultis versatur, & in rebus inanibus vitam consumit. Beati, qui præclaram virtutis ac pietatis mercuram exercent.

72 Quemadmodum diues ventis secundis nauigās, in stragulis sedet, & oculos sublimes tollit ad quæstum, satagunt coqui, vt epulas illi iucundaa parent,



DE RECTA VITAE RATIO.

circūstat turba satellitū. Repente vero coorta tempestate, mare turbatur, nauis confringitur, & ipse solus a fluctibus in insulam desertā & feris crudelibus plenam impellitur, vbi lugeat, & cōqueratur, & nemine exaudiente capillum faciemq; cōuellat, toto corpore cruciatur infelix, & singulis horis mortem expectat. Qui prae rerum copia pauloante cuncta despiciebat, fame, ac siti, timoreq; conficitur, & nullus adest consolator. Idem nobis negligentibus contingit. Dum enim deliciis ac voluptatibus incumbimus, mors repente nos opprimit, & in loca horrenda detrudit, vbi peccatores omnes, qui Dominum suum nunquā non offenderunt, æternis cruciatibus torquebuntur.

73 Quo in metu versetur is, quem desertos in scopulo procella coniecit, vbi nullus est adiutor aut consolator, cuius facile est intelligere. Nos igitur, dum in tuto sumus, quanto terrore peccator afficiendus sit, cogitemus, cum in suppliciorum & cruciatuum locū coniectus fuerit.

74 Cor meū ingemiscit, & oculi mei lacrymas quarunt, sed peccatum mentem captiuam detinet, ne respiciens, amaris lacrymis Deum exorem, ne me proiciat in tenebras exteriores.

75 Domine, qui populum tuū e manu Pharaonis, & ex fornace ferrea liberaſti, eumq; per mare rubrum incolumē eduxisti, nos item libera ab iniquitatibus nostris, vt in conspectu tuo, cum ad iudicandos viuos & mortuos veneris, gratiam inueniamus.

76 Dum in nobis sunt vires, Domino in cordis rectitudine seruiamus, vt nos, cum tentationes inuasent, adiuuet, & magnis e periculis eripiat.

77 Deus eos, qui sibi corde puro seruiunt, gloria decorat incredibili, nullus enim glorię Sanctorum inuenitur finis.

78 Dei iussu Ionā prophetam cetus deglutiuit, & in ventre ceti tanquam in penu quodam seruabatur. Ad

DE RECTA VITAE RATIO. 76

montium extrema descendit caput eius. Abyſſus val-lauit eum, eterni terrę vectes illum concluderunt. Ibi tamen supplex precabatur, ascendat, inquit, de corruptione vita mea. Domine Deus meus. Diuisit profundum oratio eius, aerem scidit, ascendit in cœlum, & ad aures Domini peruenit, vel ipse potius Dominus, qui replet omnia, haud longē abfuit ab homine ex animo supplicante.

79 Præcepit Dominus pisci, & prophetam euomuit, qui tanquam e nauī descendens ad prædicandum se contulit.

80 Acunt dentes aduersus iustos peccatores. Tentationes ingruunt. Coronantur tamen homines pii, & confunduntur impii, qui contra Dei Sanctos mala cogitabant.

81 Heliam Thesbitem improba scæmina persequebatur. Dominus autem seruo suo per coruum victui necessaria subministrabat. Peccatores verò granis oppressit fames.

3. Reg.
17.

82 In curru igneo sublatuſ est Helias propheta. At impia Iesabel præceps e fastigio domus suę est deturbata, & in plateis ciuitatis deuorata est.

83 In cœni lacum coniecerunt impii Ieremiā prophetam, & pios eius sermones ferre non possent. Horū facinore audito Abimelec corpore quidē Aetiops, sed animo cādīdus, & fide cōspiciuus Regis iniquitatē inculpauit, & pphetā eduxit, ac benedictionē inuenit.

4. Re. 9.

84 Insurrexerūt hostes in eos, qui semper Dei prophetas oppugnabant. Et Hebręorum populus permitte Deo venit in eorum potestatem. Hi cū Dei prophetam aspexissent, vincula detraxerunt, & munera obtulerunt. Eum enim magna pietate præstantē viderant. Quemadmodum enim qui lucernā gestat, eos, qui adsunt, lumine illustrat, sic virtus passim circumfert glorię splendorem.

85 Coniecerunt impii Danielelem prophetam in

K 4



Dan. 14

DE RECTA VITAE RATIO.

lacū leonū, vt ab illis deuoraretur, ignorantes, id se in propriam perniciem machinari. At Deus per Angelum sanctum, & per manum Abacuc prandium misit seruo suo. Feræ autem videntes prophetam, prostratæ adorabant eum. Vis enim cœlestis obturauerat ora leonum, ne virum iustum offenderent.

86 Cum è medio ferarum eduxissent prophetā, obstupuerunt homines impii, videntes eum tanquam sponsum è thalamo facie splendida egredientem.

87 Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Daniele, & in lacū leonum missi sunt ipsi, & filii, & vxores eorū, & nō peruenierunt vsque ad pavementum lacus, cum arripietes eos leones omnia ossa eorum comminuerunt. Quamobrè omnes admirantes exclamarūt. Magnus es Domine Deus Danielis.

88 Hæc considerantes, dilectissimi fratres, operam demus, vt tempore tentationum probati reperiamur. Ideo enim amicos suos tentari permittit Deus, vt eorum patientia & virtus exploretur.

89 Dum licet, Domino in timore, & recto corde, & bono animi proposito seruiamus, ut cum tentationes aduenerint, opem ferat imbecillitati nostræ, nosq; victores declaret, & coronatos ducat in regnum suum.

De beatitudine, & miseria.

BEATI, qui Deum amant, & propter amorem eius terrena cuncta despiciūt. Beati, qui dies noctesq; lacrimantur, quoniam ab ira ventura liberabuntur. Beati, qui sponte se summissè atque humiliter gerūt, quoniam extollentur. Beati temperantes, quoniam paradisi deliciis perfruentur. Beati, qui vigiliis, & piis exercitationibus affligunt corpora sua, quoniā gaudia cœlestia percipient. Beati, qui se ab improbis cogitationibus integros purosque conseruant, quoniam Spiritus Sanctus habitat in illis. Beati, qui Deum

DE BEATITVDINE, 77

ex toto animo magis, q̄ mundum diligunt, quoniam amici Christi reperientur. Beati, qui crucem suam libenter ferunt, & verè Christum sequuntur, quoniam ad cœlestem Hierusalem peruenient. Beati, qui lumbis præcinctis in veritate, & ornatis lampadibus suis diuinum sponsum expectant, quoniam simul cum ipso regnabunt in cœlo. Beatus, qui æterna illa bona mentis oculis semper contemplatur, quoniam illa consequetur. Beatus, cui iudicii dies ante oculos versatur assidue, quiq; operam dat, vt in illa die probatus inueniatur, quoniam læticia & gaudio incredibili afficietur. Beatus, qui vincit carnis voluptates, quoniam in extremo iudicio fiduciam habebit. Beatus, qui luget in terra, quoniam in cœlo lætabitur cum Angelis Dei. Beatus, qui propter Deum in hoc mundo laborat, quoniam laborum suorum fructus in cœlo percipiet. Beatus, qui non otiosus edit panem suū, sed ex laboribus manuum suarum, vt Apostolus Paulus, aliis etiam necessaria subministrat, quoniam in sinu Abrahamæ conuiescet. Væ autem illis qui in peccatis perseuerant, & pœnitentiæ tempus non agnoscunt, quoniam eos propediem æterno cum dolore, sed frustra pœnitebit. Væ illis, qui dicunt, dum inuenes sumus, corporis voluptatibus indulgeamus: cum senes erimus, pœnitentiam amplectemur: quoniam in mortem repente tanquā in laqueum incident, & spe sua miseri decipientur. Væ illis, qui sponte peccant, & cras, inquit, peccata relinquemus. Nesciunt enim quid posterior allatura sit dies, neque ea, quæ in medio nox est interiecta. Væ illis, qui cum bonum intelligant, manus dant malo: quoniam in die exitus ex hac vita, Angeli mali animas eorum excipient. Væ illis, qui prauis operibus suis proximo pariunt offendiculum: quoniam in die iudicii rationem etiam eorum reddent, quæ propter exemplum ab aliis male gesta fuerint. Væ illis, qui cum renun-

DE BEATITVDINE

tiauerint mundo, rursus ad mundum redeunt: in eos enim aratri similitudo torquebitur. Væ illis, qui carnis sequuntur voluntatem, & animæ curam abiciunt: quoniam ipsorum vita & spes in terram dissoluetur. Væ qui totis viribus atque omni studio non præparant se, vt in die iudicii legitimam habeant defensionem. Væ illis, qui patientiam abiecerunt: quid enim facient, cum eos Dominus inuiserit. In hoc exiguo vitæ curriculo, fratres charissimi, omne studium & diligentiam adhibete, vt penitentia & lacrymis benignum clementemq; Dominum vobis concilietis, vt vos ad se reuertentes suscipiat, & vitam largiatur. Salutis nostræ curam ne abiciamus, ne ue mundi voluptates consecemur. Sunt enim fugaces, ac breues, & studiosis ipsarum statim dolorem relinquentes ad alios fugiunt. Omnis mundi gloria ex hoc loco in alium migrat. Et nos nihil sequitur nisi peccatum, & vltix peccati pœna. Nemo nobis optulabitur in illa hora, non amicus, non propinquus, non alius quisquam nisi penitentia, & virtutes penitentiz comites, atque adiutrices, vera charitas, humilitas, obedientia, temperantia, & omnia denique opera bona, quæ gesserimus ex voluntate Dei. Hæc ex hac vita nos consequentur. Hæc aduersariis potestatibus, quæ in ipso mortis articulo, nos corripere conabuntur, repugnabunt, hæc nos adducunt ad præsentiam Christi Seruatoris, vt eum cum patre & Spiritu sancto collaudemus in secula seculorum.
Amen.

VITA SANCTI EPHRAEM per D. Gregorium Nyssæ Põtificem Magni Basilii fratrem grece scripta, in latinam versa.



PETRO FRANCISCO ZINO
Veronensi interprete.



ARCANA diuinis in Euangeliiis similitudo me ad propositum dicendi argumentum adhortatur, & linguam silentii freno inseruentem soluit, cogitationumque vias tãquam spatiosos campos exæquat & parat, atque orationis currum ad iter arripiendum expeditum ac præparatum reddit, clara uoce hisce quodammodo uerbis exclamans: Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui in domo sunt. Quid autem ex his intelligatur, adiungit, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Nonne igitur accusandi erimus, si præ ignavia silentio inuoluerimus id, in quo celebrando ingentes animos sumere Dominus imperauit? Etenim cum huius diuini Patris vitam veluti præclaram ac Sole splendidiorem faciem accenderit, nobisque declarandam proposuerit, non vult, vt eam taciti prætereuntes subter modium abscondamus, sed in sublimi Ecclesiæ uertice collocemus, vt omnibus, qui in hac orbis terrarum domo ver-



V I T A

tantur, eluceat, quiq̄ue ob illam viderint, cœlestem patrem collaudent.

Quocirca paternum illius vinculum haud ita metuendum est, vt Domini præceptum contemnatur. Quin etiam laudationis initium inde sumendū fuit, licet nos in extremam orationis partem id reiecerimus. Res enim recte consideranti illud haud plane vinculum videatur, quod humanam gloriam aspernantem prohibeat laudibus exornare, aut certe vinculum ad soluendum facile, & obligatio eiusmodi, quæ ad id potius efficiendum amantes impellat. Etenim ex quibus ille laudes se vitaturum existimauit, interditi vinculo conatus nostros euertens, ea nobis laudandi præbent occasionem. Nam cum singulę ipsius præclarę animi dotes materiam ad laudandum exhibeant, tum illud in primis, quod laudibus nõ oblectatur. Volebat enim non videri, sed esse bonus. Ex qua quidem vel vnica re, etiam si nihil aliud laude dignum effecisset, collaudandus esset. Adeo enim se laudibus desectari dicebat, vt eo vinculo vituperationem ex illis proficiscentem obsignare vulerit & euitare. Hoc autem primum orationi nostrę stadiū pandit, & perspicue demonstrat metam, ad quam dirigamus cursum, ne temere progrediamur, neque feramur præcipientes, sed per viam regiam incedamus, considerantes admirabilem Dei virum, non fuisse prohibiturum, ne laudaretur nisi se laudibus dignum conspexisset. Nullus enim nisi admodum insignis & admirandus, cum adhuc viuens maximis virtutibus excellat, memoriam sui obliuionis poculo obliterare posteros iubeat. Ac quemadmodum Paulus gratiæ prædicator, auspex Ecclesię, os Christi, quanuis dixerit: non sum dignus vocari Apostolus, non tamen propterea effecit, quominus Apostolus vocaretur. quin etiam quanto summissius de se ipse sensit, tanto maiorem gloriam est affecturus, sic Magnus noster

SANCTI EPHRAEM. 79

hic pater, quoniam se ipsum caute laudibus indignū indicauit, iccirco deinceps dignus laudibus deprehendetur.

Cum igitur is nostrę sit Ecclesię mos & institutum, vt virtutis studiosi, propterea quod eius partes coluerint, coronentur, & illi potissimum, qui propter humilem de seipsis existimationem spiritu sublimes effecti sunt, cum Euangelium dicat. Qui se humiliat, exaltabitur, minime vituperandi, aut irridendi, aut condemnandi sunt, qui diuini huius Patris virtutes describentes, vitam ipsius nobis veluti spirantem atque animatam columnam erigunt. Quę autem diximus minime falsa esse sapiens auditor inspiciet, si vbi fuerit peroratum, varia illius virtutum genera colliget, ex quibus nos tanquam pretiosis ac diuersis lapillis atque auro distinctam coronam contexentes, optatum Christi Ecclesię munus offeremus. Gaudet enim illa se eiusmodi donis honestari, quando solennis memoria iusti celebranda occurrit. Quamobrem cum ita ferat circulus anni, vt hodie nobis collaudandus sit Ephræm, fieri non potest, quin magno cum gaudio monumentum hoc & amoris pinguis suscipiat.

Ephræm igitur ille celebrandus est, qui Christianis omnibus in ore versatur. Ephræm Syrus, neque enim genus illius erubescimus, cuius moribus exornamur. Ephræm, cuius vitę doctrinęq; splendor vniuerso orbi terrarum illuxit. In omni enim fere loco, qui illustratur a Sole, cognoscitur, atque illis duntaxat incognitus est, qui magnum Ecclesię lumen Basilium ignorant Ephræm notus ille profecto Ecclesię Euphrates, cuius aquis irrigata Christianorum multitudo, centuplum fidei fructum affert. Ephræm fecunda illa Dei vitis, quę instar dulcium racemorum doctrinę fructus producens, Ecclesię filios diuina charitate nutriens explensq; recreat & oblectet. Ephræm



V I T A

bonus & fidelis Ecclesiæ dispensator, qui virtutum rationes conferuis æque distribuens, Dei familiam optime gubernat. Cuius quidem genus, & nobilitatem ab ipso partam, tum à maioribus susceptam, & parentum gloriam, & ortum, & educationem, & ætatis incrementum, & corporis formam, & fortunam, & artes, & cætera, quæ ab externis scriptoribus tanquam magni momenti in laudibus numerantur, nos in medium afferre superuacaneam ducimus. quando quidem diuos homines non ex rebus eiusmodi laudandos suscepimus. Itaque licet ad hunc laudandum inde etiam ab uno nobis suppetant argumenta, non aliis tamen rationibus quam quibus ipse viuendo docendoque illustrem se reddidit, orationis coronam connectemus. Veræ enim laudes consistunt in iis, quæ in nobis ipsis posita sunt & illis præmia debentur, quæ ex voluntate nostra proficiuntur. Earum vero rerum, quas recësumus, & vituperationes sunt falsæ, & laudes ineptæ.

Quomodo enim ex genere laudari velit, qui omnem mundi nobilitatem contempsit? & ex optimis optimis operibus dei filius fieri voluit? aut ob patriam se commendari patiat, qui totum orbem ad se pertinere non censuit? quique ut hostilem in maioribus & parentibus materiam gloria dulcem efficeret, corporis affectionem, atque animalem ipsam carnis tuniculam ut celerrimos ad virtutem cursus impediens, plane conculcauit? Quomodo denique aut ex incremento corporeo, aut ex educatione, aut ex arte, aut ex aliis id genus huiusce vitæ studiis abiectis se decorari permittat, qui iam inde ab ipsa pueritia in diuinarum scripturarum meditatione educatus, & crescens, & ex perennibus gratiæ fontibus bibens ad mensuram ætatis Christi, ut Apostoli verbis utar, peruenire contendit? Cum igitur sciamus magnum hunc nostrum patrem irridendis his laudibus, quibus

SANCTI EPHRAEM 80

homines corpori dediti capiuntur, cumulari se nolle, ex propriis ipsum laboribus mediocritæ saltem conabimur commendare. neque enim eam naturam habet oratio, ut supra vires intendatur. Quare dabimus operam, ut neque infantia impediti, quæ dicenda sunt, silentio prætereamus, neque per semitam a patrum institutis abhorrentem incedentes, a via regia discedamus, sed inter vtranque percurrentes, orationem nostram temperemus.

Quæ sunt autem illa, quæ nobis ad laudationem eius contexam subiecinus? actio nimirum & contemplatio, quas virtutum examen consequitur, fides, spes, charitas, pietas erga Deum, diuinarum scripturarum meditatio, animi corporisque munditia, assidua lacrymæ, vita solitaria, e loco in locum secessio, malorum fuga, doctrina perpetua, precatio continua, humicubatio, vitæque asperitas incredibilis, paupertas atque humilitas singularis, misericordia naturam humanam excedens, zelus diuinus in eos, qui rabie contra pietatem inueherentur, omnia denique, quibus homo ad dei imaginem insignitur. Hisce laudibus noster conspicuus est pater: agnoscit quæ dicimus: proprias esse prerogatiuas non ignorat: & hoc sermones ut nobis non sibi vtilis non aspernatur. Siquidem vel tenuis de ipso commemoratio, studiosis est causa virtutis complectendæ. Hæc autem nos non aliunde didicimus, sed ex iis, quæ in variis ipse scriptis suis disseminauit, ex quibus ut sedula apis ex multis floribus spiritualem hunc favum confecimus. Ac nobis quidem hæc conantibus non suscepsit omnino. Quando sceleratum dæmonem, qui vel in extremo certamine multos supplantare solitus est, amplius non reformidat. Iam enim in tranquillum coelitem portum peruenit, ubi nullas procelas metuit aut tempestates.

Quod igitur ad fidem pertinet, nulla ex parte pro-



V I T A

cul à pietate declinans recte admodum sentiebat, id quod cum ex scriptis eius tum ex ecclesiæ de ipso estimatione cognouimus. æquè enim & falsam Sabelii confusionem, & insanam Arii diuisionem detestabatur. Sciebat autem, quo se pieratis fines extendere. Sic enim vnã, non confusã, sacrosantãq; trinitatem, & personarum numero diuidebat, & coniungebat vnitate substantiæ, vt neque diuinitatis inopiam iudaice afficeret cõtumelia, neque deorum multitudinem more grecorum debaccharetur. Absurda autem Apollinarij opinione sic abhorrebat, vt omni cura eam ex omnium christianorum animis studeret euellere. Quineciam futiles & effrenatas Anomiorum linguas multis tum argumentis, tum scripturæ testimonijs plane compescuit, maximeq; vtilia ac diuina contra illos monumenta nobis reliquit. Siquis autem in Ephrem disputationum cum Nouato certamine velit eius audacissimi stragem videre, aduersarij casum aspiciat. Illic enim adeo superiores in ipso disputandi congressu doctoris nostri vires inueniet, vt hunc virum Pancratiastem, illum mollem ac nondum ætate firmatum puerum dicat. Nec vero eas solum, quæ vel tunc, vel ante exorte fuerant ex malitiæ semine zizaniorum hæreses, fidei rectitudine profligauit, sed quæ perniciose in posterum pullulare poterant, oculis propheticis prospiciens præcidit. Omnia enim, quæ ab illo conscripta sunt volumina, demonstrationibus conferta sunt. Nunquam igitur hic veritatis filius ab ipsa veritate deflexit. Spem autem in Deo solo, in quo qui spes suas collocant, præmia reportant, defixam habuit. Quamobrem illud Psalmi in omnibus factis & dictis vsurpabat: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. Quoniam sperantem in Dominum misericordia circumdat. Et fiducia in Dominum monti Sion similem efficit, & sustentam beatitudinẽ intus possidentem cõstituit,

vt ex

SANCTI EPHRAEM. 81

vt ex ipsis prophetis discere possumus, cum Dauid dicat: Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius. Hieremias autem: Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. & erit sicut lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum venerit æstus. Esaias vero: Dominus rex noster, ipse saluabit nos. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agã, & non timebo. cum Paulus etiam nos admoneat, dicens: Teneamus spei nostræ confessionẽ fidelis enim est, qui repromisit.

Hac igitur diuina & reposita spe enutritus Ephrem, humana omnia contemnens, sempiternam gloriam quotidie desiderabat. At amore erga Deum & proximum tam studiose seruauit, vt è vita decedens hæc diceret. æquum est enim, vt ipsa verba, quæ omni demonstratione potiora sunt, in medium proferamus. Nullo (inquit) modo in omni mea vita con tumeliosus aduersus Dominum fui, nec sermo stultus egressus est e labijs meis. In omni vita mea neminem maledictis affeci, & omnino nullo cum homine christiano contendi. O beata lingua, quæ cum fiducia talem emisit vocem, quæ solis Angelis ob vitam ab omni materia mutationeq; remotam, maxime conuenit. Nobis autem carni seruentibus, haud ita congrua, & naturæ nostræ vires magis exuperans, quam vt facile factis exæquari possit.

Atqui, vt multum labores, vitas eorum explorans, qui virtutibus insignes extiterunt, nullum tamen huic simile puræ sinceræq; charitatis indicium inuenies. Nam si inter omnes virtutes charitas excellit, hanc sic excoluit beatus Ephraem, vt non alius magis ex patribus. Cæterum, quando digna suis quisque factis præmia est accepturus, ne patres patribus conferre videamur, hæc aliis consideranda relinquemus. Neque vero hæc comparationis causa diximus, sed vt

L



18 . M E A V I T I A M A E
populus clare perspiceret, nostrum, immo vero vniuersæ ecclesiæ doctorem Ephræm, ad summum gradum in spirituali scala virtutum peruenisse.

Religionem autem in vera possessione sapientiæ comparauit, iuxta verba illa Iob: Ecce cultus Dei est sapientiæ, per illam, vt paulo ante, illius puritatem fidei describentes ostendimus, quemadmodum Beatus Paulus, in tertium cœlum ascendit, æternumq; sibi nomen & gloriam in ecclesia peperit. Sed diuinarum scripturarum meditatio huic ex lucerna Dauidica accensa est. In meditatione mea (inquit ille) exardescet ignis. Amor enim igne cœlestis contemplationis ipsum inflammans rerum sublimium incendium excitabat. Omnem enim & antiquam & nouam scripturam assiduo studio, vt quiuis alius, diligenter versauit, accurateq; ad verbum interpretatus est, & ab ipsa mundi procreatione vsque ad vltimum gratiæ liberum quæ abdita arcanaq; erant, spiritus lumine adiutus, commentariis illustrauit.

Neque vero solum huius nostræ diuinitus datæ sapientiæ latices hauit, & aliis impertiuit, verumetiam istas, quæ ad recte ornateq; dicendi rationem, quæq; ad doctrinæ subtilitatem pertinent, artes & disciplinas, quatenus vtilis arbitrabatur, reiectis inanibus & stultis rebus, æquitatisq; lance actionem contemplationemq; ponderans exercuit. Animi autem corporisq; munditia, pro hominis natura, immo supra naturam humanam (est enim gratiæ donum) excelluit. Vere enim animo quidē imperabat, corpore autē splendide fulgebat, & perturbationum dominam circumferebat. Quod quidem ex insidiis, quæ illi (vt memorix proditum est) ab impudica muliere factæ sunt, confirmatur. Etenim quum ea velut esca malitiæ ad decipiendum exitium vitium homicida Belial vsus esset, tantum absiuit, vt quod sperabat, assequeretur, vt contra ipsum insidiatorem eam ipse pugnarentem in

acie constituerit. Nam cohortationibus, admonitionibus, & diuinarum rationum incantationibus conuersam ad meliorem frugem perduxit. & ex incontinate temperatam, grauem ex petulanti, ex inquinatapuram reddidit.

Tam profluentes ac perpetuas eius lacrymas commemorare cogitanti, vere oboriuntur lacrymæ. Vix enim sine lacrymis licet ipsius lacrymarum pelagus traicere. Nam vt omnibus hominibus sine intermissione spiritum ducere proprium est, sic Ephræm continenter lacrymas fundere natura insitum videbatur. Nullus enim dies, nulla nox, nulla noctis, dieiq; pars, nullum breuissimi temporis momentum fuit, in quo non vigiles ipsius oculi lacrymis madidi cernerentur. Modo enim communes, modo priuatas, vt dicebat, absurditates deplorabat. Suspiriis autem oculorum flumina sapienter inhibebat, aut suspiria potius fluminibus oculorum excitabat. Et erat vtriusque rei progressus admirabilis, cum alioquin vtrunque alterius causa videretur. Profluebant enim ipsi lacrymæ, & causa multis erat incognita. Etenim cum illas tempus non aufferret, sed mutua quadam vicissitudine & lacrymæ suspiria, & suspiria lacrymas exciperent, alterutrus causa latitabat. Hoc autem perspiciet quisquis ipsius scripta perlegerit. Neque enim solum vbi de penitentia, de moribus, de bonis vitæ institutis loquitur, ipsum lugentem inueniet, sed etiam in ipsis laudationibus, quas plerique omnes hilaritate multa conantur aspergere. Hic autem idem vbique fuit, & assidue lugendi munus ac diuitias expetiuit. Ex quo nunc etiam fere omnes ipsius sermonum auditores, ad veram vitam amplectendam reuocat. Tantam eius lacrymis mista vim habet oratio. Quis enim adeo duro lapideoq; corde præditus est, qui verba eius exaudiens, non mansuehat, & abiecta morum asperitate, suis ipsius peccatis non doleat? Quis adeo ferus &

immanis, qui saluiferam eius doctrinam auribus percipiens non defleat tēpus, quod male contriuit? Quis tam crudelis & inhumanus, qui non simul ac verba illius melle dulciora gustauerit, benignus, miris, & amabilis euadat? Quis a lacrymis abhorrens ita se voluptatibus dedit, quin paucis illius verbis auditis, remunerationem illam, quam pro anteaēta vitæ ratione sumus accepturi, in memoriam reuocans, lamentetur & lugeat?

In rebus, quæ fieri nequeunt prouerbium illud vsurpant: lapidi misericordiam persuades. Id tamen fieri posse nos experimento docti didicimus. Diuinus enim hic senex animos, quos ob prauam obstinamq; duritiem lapides dicas, emolliuit, fregit, tractauit, vt voluit quis eius de humilitate orationem legens, non omnem protinus de se existimationem & stultam arrogantiam deponat? Sequæ omnium abiectissimum fateatur? Quis legens ea, quæ scripsit de charitate, non sic inflammetur, vt ad omne subeundum periculum paratus sit? Quis versans illa, quibus virginitatem commendat, non se Deo castum corpore & animo conetur offerre? Quis admouens aurem orationi, qua iudicium, siue secundum Christi aduentum describit, non animo sic afficiatur, vt ad illud iudicium se sibi iam putet? metuque ita contremisecat, ac si contra se ipsum sententia pronuntietur? Sic enim futurum illud Dei iudicium exoptesit, atque ante oculos posuit preclarus & diuinus hic vir, vt ad eius cognitionem nihil aliud, nisi vt res ipsa fiat, deesse videatur.

Cum igitur in eiusmodi cogitationibus de iudicio beatus ipse assidue versaretur, mundum effugit, & ea, quæ in mundo sunt, procul autem recessit fugiens, vt scriptum est, & mansit in solitudine, sibi ipsi vacans & Deo, atque inde virtutum munera accipiens. Iam enim plane nouerat, qui solitariam vitam eligunt, e

turbulentis mundi perturbationibus & tempestatibus liberari, & in portum quietis & tranquillitatis peruenire, vbi consuetudine fruuntur Angelorum, & mentibus sublimes, quoad licet, tollantur ad contemplationem Dei, Verum, quando spiritus illum monens ad multorum ædificationem ita disponebat, vt loca mutaret, non renitebatur sed obtemperabat. erat enim iussis mandatisque Dei, vt quiuis alius, obediens. Itaque patriam relinquere, vt diuinus ille Abraham, iussus, ad Edessēnorum urbem accessit. Ne que enim parerat, vt diutius sub terra sol absconderetur. His autem de causis eo se contulit, vt & quæ illic sancta erant, inuiseret, & sapientem aliquem virum alloqueretur, & cognitionis fructum aut caperet, aut impetiret.

Cum igitur ad ciuitatem peruenisset, & iam portam ingrederetur, loco sapientis hominis, quem optabat, scortum occurrit. Quamobrem cum præter expectationem in molestum illud spectaculum incidisset, spe sua deiectus oculos auertebat. At ipsum improba scemina contentis oculis intuebatur. Cui vir sapiens, o mulier, inquit, dic mihi, cur me tandiu contueris? at illa prompte, quoniam ex te homine ego sum, tu vero me ne aspicias quidem, sed in terram ex qua sum ptus es, oculos defixos tenes. Eam sibi inexpectatam responsonem valde profuisset vir sapiens fatebatur. Quapropter immensam Dei potentiam collaudauit, qui ea, quæ speramus, præter spem nobis largiri potest. Inde Cæsaream Cappadociæ diuino spiritu ductus ipsum os ecclesiæ auream illam doctrinæ lucifernam Basilium vidit. Quem senex intuitus, cœpit multis faustis vocibus venerari. Nam perspicaci mentis oculo splendidam columbam dextero ipsius humero insidentem, & verba sapientiæ suppeditantem, eaque ipsum populo depromentem cernebat. Ex qua quidem graui columba edoctus ille, diuini huius pa



V I T A

tris peregrinationē intellexerat, eumq; esse Ephrē
illum Syrum cognouerat. Opportune igitur ambo
mutua consuetudine fruebantur. Atque ita laboriosa
illa peregrinatio Ephrām non inutilis fuit.

Porro naturalis innocentia vitæ illi malorum fu-
gam ostendebat, ex ea enim & meliora prospicere,
& deteriora discebat evitare, & illas sententias ac ra-
tiones eligere, quæ puræ essent, quæq; ad capeſſendā
honestatem conducerent, & docendi vsum non impe-
dirent. Abunde enim diuino seni datum est a Chri-
sto verbi talentum, quod cum ad mensas cordium
multis exhiberet, ipsi tamen in primis profuit. Hæc
autem ipse de se dixisse fertur. Sibi, cum primum ex-
cederet e tenera illa ætate pueritiæ, arcana eiusmodi
visa contigisse. Ipsi enim iuxta linguam valde fructi-
fera vitis oriri videbatur. Quæ quidem ita crescebat,
vt vniuersum orbem impleret Omnes autem cœli vo-
lucres aduolantes eius fructibus vescebantur. At ipsa
vitis quanto plures volucres fructus decerpentes exci-
piebat, tanto magis racemis abundabat. Illud præter
rea, quod ad ipsum pertineret, alius quidam se con-
spexisse testatus est. Nimirum Angelorum multitudi-
nem e cœlo descendentem volumen intus forisq; con-
scriptum manibus continere. Sic autem diuinam il-
lam aciem colloqui visam esse: Quisnam volumen
hoc in manus accipiat? Atque hos quidem hunc, il-
los illum, alius alium ex præstantibus eo tempore ho-
minibus respondisse. Deinde post omnium probatio-
nem subiecisse. Hi quidem sancti, & serui Dei sunt.
Attamen volumen hoc in manus accipere nequeunt.
Cumque multos, qui eo tempore viuebant, nomina-
sent, neque vllus ex eis placuissent, ad extremum cõ-
muni consensu in eam sententiam conuenientes, di-
xisse: nullus volumen hoc potest in manus sumere
præter Ephrām. Tum cœlestes Angelos idem vidisse
dicitur, Ephrām volumen tradere, de nocteque sur-

SANCTI EPHRAEM. 84

gens ad Ecclesiam visum illud considerans contendit
se. Auditoque Ephrām, qui tunc luculentā gratiaque
refertam habebat orationem, quid visum significaret,
intellexisse, Deumque laudasse, qui tam eximium di-
cendi munus viro sancto largitus esset. Tantam enim
sapientiæ copiam illi tribuerat Deus, vt quauis ei
suppeterent perpetui quasi verborum fontes, rebus ta-
men explicandis non essent pares. Quod quidem non
linguæ tarditate, sed celeritate cogitationis accidebat.
Lingua enim cogitandi vim aliorum exæquabat, sed
tamen tardior erat, q̄ vt sententias ipsius assequeretur.
Itaque Magnus senex a Deo singulari eloquendi
munus efflagitabat his verbis: Largire Domine, flu-
mina gratiæ tuæ. Nam doctrinæ abyssus linguam ab-
sorbebat, vt sensa ipsius efferre non posset, cum mu-
neri concionandi instrumenta ad dicendum idonea
deessent.

Conciones autem illius nihil aliud nisi precatio
interpellabat: precationem rursus conciones exci-
piebat. Ex quo fiebat, vt cum in ea vicissim studia to-
tus incumberet, assidue in rerum diuinarum contem-
platione versaretur. Nam corpus quidem ipsum ine-
dia temperantiaque domitum sic affecerat, vt rationi
tanq̄ dominæ obediens, non magis, q̄ si mortuum es-
set, voluptatis vllum haberet sensum. Cumque ad ea,
quæ non conueniunt, obeunda immobile torperet, iis
tamen, quæ animorum saluti conducunt, exequen-
dis robore præstaret. Quid? quod ne noctes quidem,
somnia simulacris & imaginibus decipientes, ipsi virtu-
tis cursum interrompebant? Etenim quem acceden-
tes susceperant sobrium, recedentes vigilantem re-
linquebant. Id nimirum agentem, ne manus principis
istius oppressum somno deprehenderet. Tantum
autem temporis quieti concedebat, quantum transi-
gendæ vitæ necessarium erat, ne sublata omnino natu-
rali vicissitudine caro solutionem violentam patere-



48 V I T A M A S
tur. Sed somnum ab oculis cum alia multa discutiebant, tum illud in primis, quod aspere & duriter vitā agens, & uariis modis corpus affligens, humi etiam cubabat. His enim potissimum rationibus somni affectio expelli consuevit. Paupertatem uerò tantam seruabat, quantam audis Diuis Apostolis fuisse. Quocirca si quis hunc paupertatem colentium exemplar vocet minimè aberrat a veritate. Dulcissimam profecto planeque beatam vocem illam tanquā paupertatis magistrā hinc profecturus in cælum nobis reliquit. Nec crumena (inquit) nec baculus, nec pera Ephrem vnquā fuit. Nunquam aurum, aut argentum, aut vllam rem aliam possedi. Bonum enim Regem discipulis suis audiui dicentem in Euangeliis: Nihil in terra possideatis. Quare nulla me rerum eiusmodi cupiditas cœpit. Glorię igitur pecunięque contemptor, & quę præstantiora sunt amans, ad Apostolos in eo cursu quō proximè accedere contendebat.

Quid commemorem animi summisionem ipsius atque humilitatem, cum ea virtus passim in omnibus eius sermonibus & scriptis se ab eo singulariter excelsam fuisse quodammodo clamat? Quando enim ad arrogantię tumorisque lapidem offendit pes illius, qui lacrymis lacrymas inuitabat, & cinerem tanquā panem manducabat, & aspera iniucundaque vita (vt aiunt diuina illa verba) poculum cum fletu miscebat? Quique ab omni abhorrens humana gloria, cum in hac vita peregrinaretur, si a quopiam se laudari sentiebat, egre ferens, & alium alias colorem sumens, atque oculos in terram deiiciens, tenui sudore madebat, grauique silentio tanquā pudore linguam impediēte corripiebatur?

Cum autem ad beatam ac cœlestem illam vitam esset discessurus, vehementi quadam interdictione id ipsum prohibens dixit: Nulla Ephrem Carmina cecineritis, nullam adhibueritis laudationem. Ne me

pretioso cum vestimento sepelineritis, ne ue priuatim corpori meo tumulum constitueritis. Mihi enim cum Deo conuenit, vt habitem cum peregrinis. Aduena enim ego & peregrinus sicut omnes patres mei. Quemadmodum igitur aliarum virtutum, sic huius etiam egregia & perspicua habes indicia. Nam eorum quę ad eleemosynam cōmiserationemque pertinent, hunc non effectorem modo, sed doctorem fuisse veritatis præscriptio, lexque confirmat. Etenim cum ex perfecta, quam amplexus fuerat, paupertate, nihil esset reliquum, quod egenibus daret, crebris tamen admonitionibus alios ad misericordiam incitando, eleemosynam impertiebatur. Erat enim profecto huius oratio, licet vultus eius non aspiceretur, veluti diuinitus fabrefacta clauis, quę locupletum thesauros recluderet, & indigentibus necessaria subministraret. Sed aspectus ipsius Angelicus, idoneus erat, qui sine vlla oratione solus ad commiserationem intuentes commoueret. Tanta in eo tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas cernebatur. Nullus erat tam impudens, qui nō ipsum intuens, rubore perfunderetur, seque ipso melior & modestior fieret.

Ac tamen tam multa in hoc viro perfecta fuerunt, ne quis propterea putet ei absolutam rerum Ecclesiasticarum cognitionem defuisse. Neque enim illā carenus tantum attigit, vt dicendo instituere alios posset. Sed tam pietatis instituta, quę ea, quę illis aduersantur, planè percepit. Illa vt populum erudiret, hæc vt hereticos coargueret. Bono enim zelo in eas pietatis inimicas feras mouebatur. Nam sermone quodam, qui ad nos etiam non scriptis sed fama peruenit, ex quo eum veritatis fuisse studiosissimum facile intelligi poterat, Apollinarium leuem, immò dementem, & infanum appellabat, qui res nouas moliens, multa iniqua pięque scripturę aduersantia duobus libris comprehensa è ventre eructans temere loqueretur. eos autē



libros, cuiusdam sceminae, quam in deliciis habuisse dicebatur, custodiendos tradiderat. Quae cum magno Ephraem comperta essent, eiusdem opinionis se esse simulans, ad sceminam, quae libros seruabat, accedit. Qui sit, & quam fausta illi e solitudine apporet, aperit, & id genus alia fortasse adiungens, tandem supplicat, vt praceptoris scripta sibi publica vtilitatis gratia praebat, vt nobis, quos tunc haereticos appellabat, obistere facilius posset. Quibus verbis capta mulier, eumque vnum ex illis, qui Apolinarii partes tuentur, existimans, libros exhibuit, orans, vt eos sibi celementer redderet. At magnus hic Iacob fatuum supplantans Esau, & flagitiosa illa primogenita capiens, sapienter oppressit. Nam piscis glutino vniuersos illinens, folium folio ita coniunxit, vt cum vna pars ab altera prauehementi vinculo seiungi non posset, in vnicam tabulam singuli libri redacti viderentur. Atque ita eos mulieri, quae commodauerat, restituit. Illa vero artium eiusmodi, vt pote mulier, imperita, cum speciem ipsorum extrinsecus saluam aspiceret, quid intus esset, diligentius intueri neglexit.

Ceterum dies haud ita multi preterierant, cum orthodoxis quibusdam defertur diuinus senex, qui Apolinarium acciuisset, & cum illo sermones contulisset. Itaque in iudicium vocatus, impiis illius fretus libris ad diem statutum venit. ac dicere quidem pro se, cum senectute iam confectus esset, recusaui, petiitque, vt ipsi libri proferrentur, vt ex illis respondere posset, & contradicere. cum igitur delatoris, socii frementes in medium libros attulissent, inueteratus ille dierum malorum iniustitiae iudex, vnum ex illis in manus sumens, explicare conabatur. Verum cum glutino vinctus non cederet, ad mediam eius partem aperiendam aggressus est. quam quidem eodem modo conglutinatam reperit. Quamobrem sua ex priore libro frustratus spe, ad alterum accessit, quem quidem totum adeo

connexum intuitus, vt aperiri non posset, tanto rubore suffusus est, atque ita animo perturbatus, vt ex illo confessu discedens, consilii inopia haerens & exanimatus, in morbum incidit, eamque ignominiam tam aegre tulit, vt haud procul abfuerit, quia mortem opteteret.

Ac pietatis quidem zelo talis fuit Magnus noster Pater & Doctor Ephraem. Alias enim mansuetum ac mitem se praebens, cum nulla pugnandi necessitas esset, alias acerbum & grauem, cum fidei periculum immineret, omnia sapienter pro ratione temporis administrabat. Ex hoc enim zelo non minus, quam ob multa ieiunia, & lacrymas, & perpetuas preces laudandus est, atque haud scio, an ob id etiam magis, quod haec in eo vno concluderentur, ille ad communem etiam vtilitatem pertinebat. Sicut autem verum eximit venatoris specimen est, cum bellicosas feras insequitur: & boni gubernatoris virtus ostenditur, in aduersa tempestate: Medici sapientis in difficultibus morbis: strenui militis in ipso pugnae discrimine: sic pietatis religionisque studiosum virum graui pericula difficultatesque declarant, cum se, & alios ex insidiis eximit. Nullum profecto virtutis genus est a veteribus excultum, in quo non hic etiam excelluerit. Quapropter animum eius vtilitate, dulcedine, iucunditate manantem fonti, omni aquarum copia fluenti similem possumus dicere: aut prato diuersis & odoratis floribus splendenti: aut caelo variis stellarum luminibus distincto: aut Paradiso, quem audis fuisse in Edem, innumerabili decorato fructiferarum arborum multitudine: (ita tamen vt serpenti improbo exiliique auctori nullus in hunc aditus pareat) aut siquid aliud pulchrum iucundumque multis diuersisque bonis natura cohaesitauerit, talem beatum Magni Ephraem animum, multis vndique virtutum generibus exornatum existima. Semper enim



V I T A

vir admirandus in eam curam incubuit, vt perfectum & absolutum virtutum omnium chorum possideret, & quibus reliqui singulis præstiterunt, ea omnia solus ipse consecueretur.

Nam vt sacerdos, eum, qui inter iustos primus numeratus est, Abel. imitatus, nõ ex gregibus ouium, neque ex adipe sacrificia Domino obtulit, sed sine sanguine rationabile obsequium vitæ puritate sacrificauit, ea re tantum dissimilis Abel, quod à scelerato homicida interfectus non fuit, sed inimici Dæmonis laqueos vitans, superatis insidiis ad vitam, quæ nullum finem est habitura, sicut ille, peruenit. Enos autem sic æmulatus est spem, vt non modo Domini Dei sui nomen inuocauerit, sed alios etiam, vt illud innocentem, edocuerit. Enoch vero vt similis esset operam dedit, non admirabilem eius è terra in Paradisum secessum, sed e materie perturbatione, in spiritum transfectione imitando. Noe quoque similis extitit, non exiguam in arca lignea generis conseruationem, sed propriam animi incolumitatem vndique procurans, vt vitæ procillas tutò subterfugiens, nullam virtutis iacturam faceret. In multis etiam Abrahæ fuit imitator, atque, vt fidem, mansuetudinem, & amorem erga Deum taceam, in eo potissimum, quòd quemadmodum propriam terram & cognationem ille, sic Ephrem mundum effugit, & in corpore suo vnigeniti sacrificium expressit, se dedicans Deo, & ea membra mortificans, quæ sunt super terram. Isaac autem propter mortem, quæ sponte tranquilloque animo subire paratus erat, non tamen inferente patre. Quinetiam quotidie, vt Apostolus, corpore quidem fructum, quod ad propositum pertinet, percipiebat, spiritu autè viuibat Deo propter castum corporis tanquam in ariete sacrificium; Iacob verò, Esau, idest hæreseum parentem supplantando, & primogenita, recta videlicet Ecce-

SANCTI EPHRAEM 87

siæ decreta, accipiendo, similis fuit. In eo præterea, quòd non scalam à terra ad cælum vsque pertingentem, sed prælongam ignis columnam, pulchriorem mysterii profunditatem indicantem vidit. Quodq; discipulis hic, vt ille filiis, e vita discessurus, benedictiones, distribuic, quas qui pronus excipiebat. Magni illius Iacob esse arbitrabatur. At Ioseph similitudinem maxime quidem expressit integritate corporis & castitate, sed multo magis, quòd quemadmodum ille triticum, sic iste verbum communicauit, nec non in multis Moysi perfimilis fuit.

Fugit enim hic quoque Pharaonem Diabolum, & habitauit in solitudine, & Deum vidit, quatenus contemplatione videri potest. Et res admirandas effecit, & doctrina se populo ducem ac magistrum præstitit. Et Aegyptios decepit, diuitias eorum surripens, libros nimirum Hæreticorum, de quibus triumphauit. & falsum ac potui minime accommodatum infidelitatis mare diuisis, populumque, fidelium vitæ multitudinem traiecit. & pharaonis exercitum impiam calumniatorum progeniem oppressit. Et Amalec in fugam vertit, siquem Hæreticorum hoc nomine velis appellare. recte christiani que viuendi legem à Deo accepit, & nobis omnibus tradidit. Tabernaculi exemplar in monte vidit, non Moysi, sed horrendi illius futuri iudicii. Sacerdotes constituit, de sacrificio leges & præcepta tradens. Aquam eduxit e petra, dum corda lapidea ad fundendas lacrymas inducit. cœlesti pane, quemadmodum ille, abunde populum aluit, charitatis sermones nobis proponens, per quos animi maxime confirmantur, & ad sumendum cum fiducia diuinum & sacrum panem, qui pro salute nostra e sinu patris huc venit, accenduntur. Coturnices fidelibus exhibuit, docens, vt per Dei recordationem sese tollant in cælum, & quæ illic pulchra sunt, contemplentur. Et



M T V I T A

hac quidem rationes si quæ Pater hic grauius gessit, cum rebus gestis priscorum conferre uolueris, illis nullo modo inferiorem inuenies.

Siquidem, ut Iesus Naue, Iordanem etiam diuisit, cum clausas benignitate diuinitus manus patefecit, populoque terram non abiectæ huius promissionis, sed regni cœlestis distribuit. Ab infantia, ut Samuel, dicatus est Deo, diuinamque uocem audiuit. Ut Elias, sacerdotes turpitudinis vituperauit. Ignemque diuinum rationis priscificio, non semel sed sæpius deduxit, & igneo virtutum curru, non in æthera sed in cœlum sublatus est. Ut Elifæus, duplicem spiritus gratiam acquisiuit. Ut prophetæ, diuinæ uisionis copia donatus est. Atqui ratio ipsa me mouet, ut hunc uel cum illo, quo nullus inter natos mulierum extitit maior, audeam comparare. cum illo inquam, qui inter legem & gratiam medius fuit. Nam hic, quem admodum præcurser ille, solitudinem coluit, & ad hunc item factum est uerbum Dei. Et prece pœnitentiam docuit. Ut Paulus autem uas electionis, multas tentationes sustinuit. & pœnitentiæ semina, ut ille fidei, diligenter sparsit. Sed quid oportet hunc sigillatim cum sanctis conferre, cum eius recte factis plenus sit orbis terrarum? Longior autem oratio est superuacanea, cum ipsa opera appareant. Nam multitudo uerborum fidem infirmat, quasi uirtutes non satis ex rebus ipsis declarentur, sed egeant orationis auxilio. Quamobrem operæpretium erit, ut, quod suauissima uoluptate animos nostros afficiet, admirabilem eius è uita exitum exponamus.

In cœlum igitur iam profecturus diuinus hic uir illis, qui aderant, imperabat, ne corpus suum pretiosa veste ornatum sepelirent. Quod si quis amantior sui aliquid eiusmodi cogitasset, mutato in melius consilio, id ipsum, quod honestandæ sepulturæ decreuisset, pauperibus daret. Unus igitur eorum, qui ade-

SANCTI EPHRAEM 88

rant sane quam nobilis, cum magni pretii uestimentum parasset, quo diuini senis corpus indutum afficeret sepultura, neglecto, quod audierat, mandato magisque pium & pauperibus præferendum honorem, quem ipse cogitauerat, iudicans, uestimentum pauperibus dare distulit. Quare protinus à malo dæmone percussus, quod mandato non obtemperasset, acerbissimas pœnas dabat, seq; ante lectulum, in quo uir sanctus iacebat, ore feruentes spumas agens dilatabat. Cui clementissimus senex, quidnam, inquit, o homo, ut in hoc periculum conicereris, admisti? At ille imperio senis excitatus, quantum uis menti dæmon tenebras offudisset, occultum, quod inierat non obediendi ipsius mandato consilium aperuit. Tum uir humanissimus contententem comiseratus, manuum impositione & precatione ab affectione illa hominem liberauit, & in pristinum restituit sanitatis statum, atque eum sic allocutus est. Perfice, homo, quæ dudum promissi.

Hoc igitur facto miraculo, cum iam uitæ finis instaret, eos, qui aderant, multis admonitionibus ad amandam & colendam uirtutem cohortatus, ut postrema eius declarat oratio, ad tranquillum æterni regni portum enauigauit, sanctaque ac Deo grata accessione, beatorum numerum, qui ab initio seculi fuerant, cumulauit. In cœlestibus enim tabernaculis anima illius cœdit, ubi sunt ordines Angelorum, ubi Patriarcharum populi, ubi chori Prophetarum, ubi sedes Apostolorum, ubi gaudium Martyrum, ubi piorum letitia, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cœtus, ubi puræ lætantium uoces. In sacrum illum locum, ubi sunt ea bona, in quæ desiderant Angeli prospicere, felicissima sanctissimaque beati clarique Patris Ephraem anima peruenit. Exitimo autem, cum in cœlum ascenderet, singulas uirtutes, quas in hac uita coluerat, præcedentes, res illas recõ-



V I T A

ditas & pulcherrimas, quæ mortalibus oculis cerni non possunt, ostendisse, omniumq; præstantissimam charitatem ad eam accedentem dixisse. Aspice, chara anima, quam tibi pulchritudinem cõparauit, simulq; delicias demonstrasse. Mox accurrentem humilitate sic allocutam: Vide, anima dilecta Deo, quale ego tibi locum ornaui. Tum reliquas omnes sigillatim enarrasse, ostendisseque præmia, quæ iam inde, cum ab ipsa in corpore colerentur & exercerentur, in posterum acquirebant. o decantanda atque imitanda peregrinatio. o mors non indigens lacrymarum. o separatio coniunctionem optatam concilians. o transitio, cuius non pœnitet transeuntem. o funus nullam molestiam afferens. Nam dum mores illius admiramur, consolationem accipimus. Aliorum enim hominum mors iis, qui relinquuntur lacrymarum causam præbet, sanctorum autem, lætitiã celebritatemq; conciliat. Neque vero dicenda est mors, sed transitus, & ad meliora demigratio.

Hęc tibi, Patrum optime Ecclesięque Doctor, mu-
nera laudum asserimus, non ea quidem pro dignitate, neque indigenti tibi. Quam enim gloriam afferre queat oratio, quæ laudati meritis superatur? Sed ob viuentium potius utilitatem. Quandoquidem bonorum & præstantium virorum laudationes, vt stimuli & faces animis admote, vehementer homines ad rectius viuendum incitant & inflammant. Hanc autem laudandi prouinciam alacrius cepimus, quum multis aliis rationibus adducti, præter vitę doctrinęque famam, toto terrarum orbe vulgatissimam, tum cura illa, quam in homine eiusdem nominis liberando adhibuisti. is enim nos ad hoc onus subeundum impulit, qui à posteris Ismael in bello captus, & procul a patria diu commoratus, cum ad eam reuerti cuperet, & viam commodiorem ignoraret, admirabili ope tua rationem ad salutem aptam inuenit, & quod optauerat,
est

SANCTI EPHRAEM 89

est consecutus. Nam cum in maximum vitę discrimẽ adductus esset. Quoniam omnes viæ barbarorum co-
piis interclusa tenebantur, te nomine tantum inuocauit, dicens: sancte Ephrẽm, adiuua me. atque ita tuto periculorum laqueos euasit, mortemque neglexit, & inopinatam salutem assecutus, patrię auxilio tuo munitus, præter spem redditus est. Quapropter ad hęc dicenda audacter aggressi tuas laudes impuris labiis attingere non veriti sumus.

Qua quidem in re si haud ita multum defecimus, id ope tua nos assecutos fatemur, tibi que acceptum ferimus. Sin dignitate tua longè inferiores nostrę sunt laudes, te quoque (quanuis audacius hoc dictũ videri possit) in causa fuisse dicemus, qui & viuens & defunctus, modestię humilitatisque studio, te colaudare volentes impedis. Attamen, siue hoc, siue illud sit, nos pietatis officio pro viribus satisfecimus: teq; id nobis minime succensurum, neque tui amantissimos auersurum, sed æquo libentique animo filiorum balbutientium laudes suscipitur speramus. Tu vero diuino assistens altari, vitęque principi ac sacrosanctę vna cum angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisque peccatorum veniam impetra, vt sempiterna regni cœlestis beatitudine perfruemur in Christo Iesu domino nostro, cui gloria in æternum.
Amen.



EX HYSTORIAE
ECCLESIASTICAE
NICEPHORI CALLISTI
LIBRO NONO,



Ioanne Lango Interprete.



ADEM HAC ætate & Ephræm Syrus præclarus fuit, qui quidem longo interuallo omnes præcessit. Hic Nisibin patriam habuit, & in monachorum Philosophia exercitatus, breui tantum in lingua Syrorum, quum quidem eam prius ab aliis non didicisset, neque specimen aliquod aut spem, talem eum fore, præbuisset, profecit, vt cum pietatis exercitio ad summum contemplationis peruenerit, tum splendore, facilitate & suauitate verborum, nec non densitate & grauitate sententiarum, etiam præclarissimos quosq; Græcorum, qui eloquentia antiquitus excelluissent, superauerit. Etenim si quis illorum Græca scripta in Syrorum fortè aut aliorum peregrinam linguam transferret, & florentem illam Græcorum ornamentorum gratiam, decentemq; nitorem, & fucû verborum detraheret, illicò quoque adscriticis coloribus deficientibus, sententiarum obscuritas sese prodebat. At Ephræm lóge alia erat oratio. Nam quã eo adhuc superstitè, atque etiam defunctò, postea libri eius in Græcam linguam conuerterentur, non longe admodum a propria & natiua decedebant virtute. Mirum

HISTORIAE NIC. CALLI. 90
quidem auditu est, eundem & Græce, & Syriace legi. Quam ob causam magnus ille & oratione & virtute Basilius, qui Cappadocum metropolim episcopatu suo exornauit, summiopere virum est admiratus, eundemque eruditionis nomine beatum censuit. Vt tanti viri tam certo testimonio manifestum sit, communiter quoque a Græcis, qui tum clarum in eloquentia obtinere nomen, præstantissimû omnium Ephræm iudicatum esse. Vox sane Basillii talis, nõ temere prolata esse existimanda est. Dicitur autem diuinus Ephræm trecentas versusum myriades conscripsisse. Et paulo post. Qualis igitur is sermone fuerit, vel ex hoc ipso conicere licet. Vita verò ei valde exacta, & bonis operibus spectata fuit. Quietem etiam multo studio est sectatus. Et propter morum castitatem tantopere calumnias deuitauit, vt fere a conspectu mulieris profus abhorruerit. Fertur sane, quum mulier quædam nulla profus vitæ disciplina, & pudore nullo, in angusto admodum loco ei obuia facta, siue consulto veluti virum tentatura, seu ab aliis, vt hoc faceret, mercede conducta, oculos sine intermissione in eum coniceret, increpans, in terram eam prospicere iussisse, illamque respondisse: Sed quomodo tandem terram ego intuear? quum æquius sit te eam respicere, qui ex ea conditus sis, quam me ortum ex te habentem, proindeq; recte te respectantem. Quod mulieris verbum ille admiratus, deinde scripto mandauit. Atque id Syri in primis memoratu dignum ex illius rebus esse censent. Et primû quidem is saepe ira victus est: posteaquam aut monasticæ philosophiæ incumbere cepit, nunquam comotus esse visus est. Atque aliquando, cum dies multos pro consuetudine sua ieiunio transigisset, & minister tempore cibum ei afferret, accidit, vt is ollam frangeret. Ephræm vero pudore iuxta & timore correptum illum videns: Bono, inquit, esto animo. Quandoquidem enim obsonium ad nos venire



HISTORIAE

renuit, nos age ad id accedamus, & ad ollæ fragmenta considens comedit. Enim vero vt vana etiam gloria superior fuerit, inde liquido patebit. Designabatur vbi cuidam Episcopus, & iam qui eum ad electionem abducturi erant, adueniebant. Ac ipse statim eo cognito, in forum progressus, veluti mente captus indecore gradiebatur, non satis honeste vestem post se trahens, & quæ venalia erant, surripiens, propalamque comedens. Sic ille mentis impos existimatas, electionem effugit. Et tantisper dum alius episcopatum reciperet, occultans sese, latuit. Plurima sane & alia memoratu digna, & qui de eo conscriptus est liber, & prouinciales eius, Romani simul, & Syri de eo referunt, quæ cuius cognoscere est procliuè. Vnum illud sane quàm memorabile historie huic inferere visum est, quod ab eo ante obitum est gestum. Fames ingens Edesenorum urbem premebat: atque ipse, qui multos annos non fuerat domo progressus, tum philosophandi studio aliquantum intermissio, prodiit: & in homines locupletes, qui sic turpiter rerum necessarium inopia ciues suos pereuntes despicerent, acriter est inuectus, arguens eos, quod animarum cura neglecta, studium omne in corpore fouendo collocarent. illi autem integritatem & paupertatem viri obseruantes veriti, minime id sic esse affirmarunt: facile enim & promptum eis esse, indigentibus facultates distribuere: deesse saltem, qui in eo ministerio, pro eo atque deceret, fidelem se præberet, omnesque lucro inhare, & talia fœdè in quæstum suum vertere, dixere. Tum Ephræm: Ego verò, inquit, qualis vobis esse videor? & illi, Honestus atque bonus, respondere: & talis prorsus, qui opinioni, quæ de eo fertur, vita ipsa respondeat. Itaque, ille ait, paratus sum omnibus hac in re inferuire. Et multo ab eis sumpto argento, trecentas parauit mensas: & in publicis porticibus eos, qui fame affecti erant, acceptos, diligenter & benigne

HISTORIAE NIC. CALLI. 91

fouit: aduenas quoque, & alios qui inopia affligerentur, humaniter curauit, idque tantisper fecit, dum fames ibi est grassata. Ea vero delapsa, ipse ad philosophiæ suæ officinam reuersus, ibi paucos post dies vita est defunctus. In ecclesia clerici ministerium sumpsit. Vita autem monastica per celebris, ex æquo cum iis, qui episcopatu doctrina, & vitæ sanctitate clari sunt, laudatur. Hæc pauca ex multis, quæ ab Ephræm recte pieque facta sunt, diximus. Res nanque eius omnes si pro dignitate earum exponere nos oporteret, aut etiam aliorum, qui tum in eodem philosophandi genere elaborarunt, vt scilicet eorum quisque vixerit, & quali morum instituto vsus sit, qualis ipse fuit, scriptore esset opus.

F I N I S.



Errata sic corrigenda.

Car. 11. a. v. 8.	Beatus ter	Beatus, ter
car. 12. a. v. 15.	Infelix	Infelix
car. 13. b. v. 24.	mendaciis	mendacis
car. 17. b. v. 15.	ornamente	ornamenta
car. 17. b. v. 36.	spoliatus, est	spoliatus est
car. 18. a. v. 18.	Christianissimi	Christi amicissimi
car. 19. a. v. 31.	ostendit	ostendit
car. 21. b. v. 34.	ad	ab
car. 22. b. v. 9.	speculum animæ	speculum, animæ
car. 24. b. v. 36.	homine	hominem
car. 27. a. v. 12.	imparatum	imparatam
car. 31. a. v. 34.	compellentem	compellantem
car. 31. b. v. 2.	certificati	testificati
car. 36. a. v. 27.	posuit	profuit
car. 38. a. v. 27.	addibent	adhibent
car. 41. b. v. 3.	ab	ad
car. 43. a. v. 30.	mœrentibus	merentibus
car. 44. a. v. 34.	sua non sunt	sua sunt
car. 44. b. v. 17.	Amocum	amicum
car. 45. b. v. 6.	Quin	qui
car. 46. b. v. 16.	fordidus	fordibus
car. 46. b. v. 20.	conspectu	conspetto
car. 50. a. v. 26.	confusus	confusos
car. 51. b. v. 4.	quidem	quidam
car. 52. a. v. 15.	pœnitus	penitus
car. 53. b. v. 19.	est is	estis
car. 54. a. v. 9.	Dominus, Iesus	Dominus Iesus
car. 54. b. v. 6.	slendidis	splendidis
car. 55. a. v. 22.	poema	pœna
car. 55. a. v. 24.	scite	scito
car. 59. a. v. 6.	operan	operam
car. 59. b. v. 17.	metrias	nutrias
car. 60. a. v. 17.	complectemini	complectimini
car. 61. a. v. 30.	iudicis	iudices

car. 64. b. v. 36.	ignavius	ignauus
car. 66. a. v. 16.	calumnis	columnis
car. 69. a. v. 1.	male	mala
car. 71. b. v. 10.	ilos	illos
car. 71. b. v. 21.	dimittit	demittit

Reliqua benignus ipse Lector emendabit.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M.

Omnes sunt quaterniones, præter M,
qui est duernio.

V E N E T I I S.

APVD FRAN. RAMPAZETVM.

M D L X I.





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



6-1-25



The left page is mostly blank, showing signs of age with yellowing and some faint, illegible markings.

The right page is heavily damaged. The top portion is covered by a large, irregular piece of torn, yellowish paper. The bottom portion shows a dark purple or maroon binding material, which is also heavily worn and peeling, revealing a lighter, fibrous material underneath. The central gutter shows the binding structure.

